MASTER NEGATIVE
NO. 93-81319-25

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

MUELLER, ALFRED EDWIN

TITLE:

POSIDONIO MANILII AUCTOR

PLACE:

BORNAE

DATE:

1901

Master Negative #
93-81319-25

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



88P84
DZ8 Mueller, Edwin, 1875-
v.1 De Posidonio Manilii auctore, spec. I, dissertatio inauguralis quam ... scripsit Eduinus Mueller ... Bornae, typis Roberti Noskei, 1901.
38 p. 22 cm.

Thesis, Leipzig, 1901.

81645

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 14
IMAGE PLACEMENT: IA (IA) IB IIB
DATE FILMED: 1.26.93 INITIALS SS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
Inches
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Posidonius ~~of Apamea~~
subj Manilius
no. 3
88 P 54
~~II Z 6~~

De Posidonio Manilii Auctore

Spec. I.

Dissertatio Inauguralis

Quam

Ad Summos In Philosophia Honores

Ab Amplissimo

Philosophorum Ordine Lipsiensi

Rite Impetrandos

Scripsit

Eduinus Mueller
Grossgraupensis

Bornae
Typis Roberti Noskei
MDCCCCI

VIRO DOCTISSIMO

CURTIO WACHSMUTHIO

INGENIOSISSIMO POSIDONII EXISTIMATORI

PIETATIS ET OBSERVANTIAE CAUSA

S.

Quibus fontibus Manilius Astronomicon poeta usus esset, primus Lansonus (De Manilio poeta eiusque ingenio. Paris. 1887) disseruit [1]), qui cum Stoicorum scholam veterem a media schola eclectica seiungere nesciret, ad rectum exitum non pervenit statuens (p. 53) Manilium haud sincerum stoicum philosophum fuisse multis admixtis, quae a Stoicorum opinionibus dissentirent. Postquam iniuria Gruppius in Hermae vol. XI p. 235 Varronianae doctrinae vestigia apud poetam nostrum indagasse sibi visus est, Dielsio duce (vide Rhen. Mus. vol. XXXIV p. 490 sq.), nuper Malchinus (De auctoribus quibusdam, qui Posidonii libr. meteorol. adhibuerunt. Rost. 1893) Maniliani carminis res meteorologicas ad Posidonium revocavit; simul Bollius in annal. philolog. suppl. XXI p. 220 sqq. sententias philosophas e Posidonio poetam petivisse lucidissime edocuit. Quia autem et Malchinus haud pauca perverse tractavit aut omnino omisit et argumentatio illa, qua Bollius locos ad philosophiam pertinentes poetam e Posidonii protreptico hausisse erat probaturus, adhuc restat, praeterquam quod multa, quae apud Manilium Stoicum colorem spirant, fragmentis aliis allatis Posidonio diserte vindicare ille omisit, hanc de Manilio Posidonii sectatore quaestionem instaurare mihi proposui.

Exordiar a libri primi rebus meteorologicis, quas poetae philosophi Rhodii epitomam meteorologicam suppeditasse Malchinus Gemino, Achille, Aristotelis personati libro *περὶ κόσμου* collatis confirmavit. Qua in re quamquam nonnullos in errores incidit, tamen haudquaquam Martinio assentiar viri illius docti commentationem totam futilem asperius iudicanti (vide Rhen. Mus. vol. LII p. 353 n. 2). Recte quidem Martinius enuntiat in viri Apameensis doctrina meteorologica restituenda Gemino caute ac provide utendum esse, quippe qui saepius non Posidonii disciplinam protulerit. Attamen Malchinus cum praeter Geminum Achillem et auctorem libri *περὶ κόσμου* anonymum comparaverit, recte summatim Manilii de rebus meteorologicis sententias Posidonio attribuisse putandus est; ubicumque vero illius argumen-

[1]) Woltieri commentatio (De Manilio poeta. Gron. 1881) mihi praesto non fuit. cf. 'Bursians Jahresber. d. klass. Alt.' vol. XXXIV p. 249.

tatio Gemino solo nisa est, quaestionem accurate examinemus oportet. Praeterea Malchino crimini vertendum est, quod Cleomedem aliosque auctores, quos Posidonii auctoritatem secutos esse constat, rarissime atque obiter commemoravit. Quamquam igitur epitomae meteorologicae argumentum et ordinem ex Achille (h. e. Diodoro), libro *περὶ κόσμου*, Senecae Naturalibus Quaestionibus, Gemino, Manilio, Plinii l. II lucrari possumus, tamen tum demum, cum eos inter se aut cum Cleomede, Arii Didymi epitoma, Aetii placitis, Diog. Laertio contulerimus, ista Posidonii disciplina mera evadet.

Iam nos convertamus ad libri primi singulos locos. v. 122 sqq.[1]) poeta mundi originem doxographorum ratione exponit, sed alio ordine atque Achilles (cap. 3 p. 31 ed. Maass.) et multo strictius quam Aetius (Doxogr. gr. 276, 5 sq. Diels.). Tamen recte Malchinus (pag. 14) illam descriptionem ad philosophum Rhodium revocavit, et quia omnia quae sequuntur e Posidonio manaverunt et quod Posidonii proprium erat, priusquam sententiam suam explanaret, priorum opiniones enumerare (cf. Martinii 'Lucubr. Posid.' spec. I in 'Symbol. Wachsmuthio oblat.' p. 160). Quam rationem apud Manilium hoc loco et I 865 sq., cuius loci Posidonium fontem iam Dielsius (vide supra p. 1) statuit, invenimus.

Deinde vv. 149 sqq. Manilius ordinem et sedes quattuor elementorum secundum Posidonium, qui hac in re Chrysippi sententiam iteravit, describit (Achill. p. 32 M., Stob. ecl. I 184, 185 W. cf. Malchin. l. l. p. 14). Posidonii de eadem re sententiam nobis multi et alii scriptores servaverunt. Velut Diog. Laertius VII 137: *ἀνωτάτω μὲν οὖν εἶναι τὸ πῦρ, ὃ δὴ αἰθέρα καλεῖσθαι, ἐν ᾧ πρώτην τὴν τῶν ἀπλανῶν σφαῖραν γεννᾶσθαι, εἶτα τὴν τῶν πλανωμένων· μεθ' ἣν τὸν ἀέρα, εἶτα τὸ ὕδωρ, ὑποστάθμην δὲ πάντων τὴν γῆν μέσην ἁπάντων οὖσαν* (cf. Hirzel 'Unters. zu Cic. philos. Schriften' II [1892] p. 758 sq.), Cicero de nat. deor. II 33, 84. 45, 116. 117[2]), Plinius N H II § 10 (cf. Martinii Quaest. Posidon. [1895] p. 361; Susemihl, Hist. litt. Alex. II p. 138 n. 190), anonymus ille christianus qui Hermippum conscripsit p. 8 sq. Kroll. et Viereck. (vide Boll. l. l. p. 142. 80), Suetonius de nat. rer. p. 200 Reiff. (vide Martin. Qu. P. p. 399). Imprimis huc faciunt Strabonis de cosmogonia verba l. XVII p. 809 C, quae etsi

[1]) Versus secundum editionem Jacobi (Berol. 1846) citare debui, quia neque in Regia bibliotheca Dresdensi neque in bibliotheca Universitatis Lipsiensis Becherti nova editio critica (in Postgatii CPL fasc. III) praesto est. Nonnullos locos Bechertus vir ille doctissimus liberalissime mecum communicavit, cui maximas gratias habeo.

[2]) Libri II. maximam partem e Posidonio pendere nunc inter viros doctos constat (cf. Schanz 'Röm. Litt.' I² p. 323).

Chrysippi sententiam prima specie reddere videntur, tamen ut multa et alia Posidonio ille terrarum descriptor debere putandus est.[1]) Quod lucidissime illius argumentationis fine evincitur: *τί οὖν θαυμαστόν, εἴ τινα μέρη τῆς γῆς, ἃ νῦν οἰκεῖται, θαλάττῃ πρότερον κατείχετο, τὰ δὲ νῦν πελάγη πρότερον ᾠκεῖτο; καθάπερ καὶ πηγὰς τὰς πρότερον ἐκλιπεῖν συνέβη, τὰς δ' ἀνεῖσθαι, καὶ ποταμοὺς καὶ λίμνας, οὕτω δὲ καὶ ὄρη καὶ πεδία εἰς ἄλληλα μεταπίπτειν· περὶ ὧν καὶ πρότερον εἰρήκαμεν πολλὰ καὶ νῦν εἰρήσθω.* Tales enim et oceani et terrae commutationes Strabo l. I cap. 3 secundum Eratosthenem, Stratonem, Xanthum Lydum, Posidonium commemoraverat.[2]) Adeantur etiam Strab. II 102 C: *Τὸ δὲ ἐξαίρεσθαι τὴν γῆν ποτε καὶ ἴζήματα λαμβάνειν καὶ μεταβολὰς τὰς ἐκ τῶν σεισμῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν παραπλησίων, ὅσα διηριθμησάμεθα καὶ ἡμεῖς, ὀρθῶς κεῖται παῤ αὐτῷ* (sc. *Ποσειδωνίῳ*) nec non [Aristot.] *π. κόσμου* p. 400 a 21 sq.: *(τὰ οὐράνια) οὔποτε ἀλλοιωθέντα μετεκινήθη, καθάπερ τὰ ἐπὶ γῆς εὔτρεπτα ὄντα πολλὰς ἑτεροιώσεις καὶ πάθη ἀναδέδεκται· σεισμοί τε γὰρ ἤδη βίαιοι πολλὰ μέρη τῆς γῆς ἀνέρρηξαν, ὄμβροι τε κατέκλυσαν ἐξαίσιοι καταρραγέντες, ἐπιδρομαί τε κυμάτων καὶ ἀναχωρήσεις πολλάκις καὶ ἠπείρους ἐθαλάττωσαν καὶ θαλάττας ἠπείρωσαν . . .* (cf. Boll. l. l. p. 226). Quae etsi Strabo e Posidonii libro de oceano sumpsit, tamen ille etiam in epitoma meteorologica breviter istas elementorum commutationes commemorare potuit; utique priorem Strabonis partem ad Posidonii disciplinam meteorologicam eruendam adhibere licet. Praeclarissime ad Manilii verba (v. 164 sq.): 'Adiacuitque cavis fluidum convallibus aequor Emersere fretis montes orbisque per undas Exsiliit vasto clausus tamen undique ponto' quadrant Strabonis: *ἀλλ' ἐπειδὴ τῇ γῇ περίκειται τὸ ὕδωρ, ... ἐποίησεν (ἡ πρόνοια) ἐξοχὰς ἐν τῇ γῇ πολλὰς καὶ εἰσοχάς, ὥστ' ἐν αἷς μὲν ἀπολαμβάνεσθαι τὸ σύμπαν ἢ καὶ τὸ πλέον ὕδωρ ἀποκρύπτον τὴν ὑπ' αὐτῷ γῆν, ἐν αἷς δ' ἐξέχειν τὴν γῆν ἀποκρύπτουσαν ὑφ' ἑαυτῇ τὸ ὕδωρ . . .* Eandem sententiam legimus IV 642: 'Nec tantum ex una pontus sibi parte reclusit Faucibus abreptis orbem . . . sed montibus altis Est vetitus, totam ne vinceret aequore terram'.[3])

v. 163 primi libri potius cum Munrone (ad Lucr. V 487) 'struxerunt' legerim, quod Gemblacensis et Lipsiensis exhibent.[4])

[1]) Haeblerus in ann. philol. a. 1893 p. 299 de Zenone et Chrysippo ipsis cogitavit.

[2]) cf. Berger 'Gesch. d. wiss. Erdkunde d. Griechen' IV (1893) p. 79 sq. Dubois 'Examen de la géographie de Strabon' (1891) p. 235. 361. Sudhaus 'Aetna' (1898) p. 62 sq. 69.

[3]) Ad v. 142 sq. qui de elementorum vicissitudine sunt, conferendi sunt Diog. Laert. VII 150, Cic. ND II § 84, Sen. NQ II 2, 2, III 10, 1—5, Plut. Plac. phil. I 9, 2. (Dox. gr. 307, 22), Phil. de aet. mund. p. 33, 10 Cumont.

[4]) Idem se in textum recepisse Bechertus comiter mihi perscripsit.

Simillime [Arist.] *περὶ κόσμου* p. 392 b 29: *ἡ δὲ σύμπασα τοῦ ὑγροῦ φύσις ἐπιπολάζουσα κατά τινας τῆς γῆς σπίλους τὰς καλουμένας ἀναπεφυκυῖα οἰκουμένας*... (vide Susemihl l. l. II p. 327 n. 437). Haud scio an oceani siccatione paulatim continentes augescere secundum Zenonem Posidonius contenderit, cf. Philon. de aet. mund. 23 p. 36, 7 et 26 p. 41, 7 Cumont.[1]) Similiter disseruit Posidonius apud Strabonem (I, 3, 9 p. 53): *οὕτω μὲν οὖν ἐνδέχεται προσχωσθῆναι τὸ πέλαγος πᾶν, ἀπὸ τῶν αἰγιαλῶν ἀρξάμενον* .... (cf. Zimmermannum in Herm. vol. XXIII p. 105. 125 sq.). Item pro ratione, quae inter Posidonium et Trogum intercedit (cf. Schanz l. l. II, 1^2 p. 278 n. 1, 279. Susemihl l. l. II p. 142), originem Posidonianam huius loci Iustini ponam (II, 1, 17): 'Quodsi omnes quondam terrae submersae profundo fuerunt, profecto editissimam quamque partem decurrentibus aquis primum detectam, humillimo autem solo eandem aquam diutissime immoratam; et quanto prior quaeque pars terrarum siccata sit, tanto prius animalia generare coepisse.'

Sed iam paulisper sistamus gradum. Quod enim modo Philonis de aeternitate mundi libro, quem suppositum declarare solent, opinionis meae firmamento usus sum, fusius quid hac de re sentiam, profitear necesse est. Ac primum quidem illam scripturam philosophi Alexandrini genuinam esse Cumont (prolegg. II sq.) et Wendlandius in ephemeride 'Berlin. philolog. Wochenschr.' 1891 p. 1030 sq. mihi probaverunt.[2]) Cum vero Philo saepius alibi Posidonianae doctrinae vestigia secutus sit (vide Wendland 'Philos Schrift über die Vorsehung' 1892 p. 39. 83 sq.), eum quidquid Stoicae rationis in libro de aet. mund. legimus, philosopho Rhodio debere arbitror. Quod ut iam a Dielsio (Doxogr. gr. p. 107), etsi librum Philoneum esse negavit, et Wendlandio (l. l. p. 11 n. 6) statutum est[3]), ita definitione illa mundi confirmatur (p. 2, 12 C: *λέγεται τοίνυν ὁ κόσμος ... σύστημα ἐξ οὐρανοῦ καὶ ἄστρων κατὰ περιοχὴν γῆς καὶ τῶν ἐπ' αὐτῆς ζῴων καὶ φυτῶν)*, quam Posidonii esse collatis Diog. Laert. VII 138, Doxogr. gr. p. 464, 18, [Aristot.] *περὶ κόσμου* p. 391 b 9 evincitur.[4]) Quae p. 36, 8 de oceani deminutione proferuntur, eadem Posidonium tractasse supra vidimus. Nec non Rhodum, Delum,

[1]) Vide etiam Alex. Aphrod. comm. in Aristot. Meteor. 90 a (Aristot. meteor. ed. Ideler I p. 226). Berger l. l. III p. 114. 'Ber. d. K. S. Ges. d. W.', Ph.-H. Kl. 1898 I p. 101.

[2]) cf. etiam L. Cohn 'Einteilung u. Chronologie der Schriften Philos' in Philologi suppl. VII [1899] p. 389.

[3]) Schmekelius de Posidonii libro *περὶ κόσμου* cogitavit (cf. 'Die Philosophie d. mittl. Stoa' 1892 p. 13 n. 4.). cf. etiam v. Arnim 'Quellenstudien zu Philo v. Alexandria' 1888 p. 51.

[4]) Recurrit etiam apud Cleom. *κυκλ. θεωρ.* p. 2, 9 Ziegler.

Anaphen (a Philone male intellectam) philosophus Stoicus ibi commemoraverat, ut Plinius NH II § 202 testatur (cf. Rusch 'De Posidonio Lucreti Cari . . . auctore' Gryph. 1883 p. 41 sq. Sudhaus l. l. p. 61); quin etiam Pindari versus in fonte citatos invenire potuit, cum Posidonium auctoritatem illius poetae in terrae motibus describendis adhibuisse ex Strabone p. 248 et p. 627 comperiamus (vide Sudhaus l. l. p. 64. 67.). Item quae auctor p. 41, 7 de continentium commutationibus disserit, ad Apameensem revocem; quode conferri iubeo Strabon. p. 60 (vide Rusch l. l. 17. Sudhaus p. 62). Ubi cum Durin secutus Posidonius 'Rhagas' a voce *ῥηγνύναι* duxerit, dubitari non potest, quin Philo eidem 'Rhegii' originem ab eodem verbo tractam debeat. Praeterea adeantur Strabonis verba VI p. 258: *ὠνομάσθη δὲ Ῥήγιον, εἴθ' ὥς φησιν Αἰσχύλος, διὰ τὸ συμβὰν πάθος τῇ χώρᾳ ταύτῃ· ἀποῤῥαγῆναι γὰρ ἀπὸ τῆς ἠπείρου τὴν Σικελίαν ὑπὸ σεισμῶν, ἄλλοι τε κἀκεῖνος εἰρηκεν· ἀφ' οὗ δὴ Ῥήγιον κικλήσκεται.*[1]) Deinde Philo Helicen et Burin concussione suppressas commemorat; quam calamitatem Posidonius apud Strab. I p. 59, Senec. NQ VI 25, 4, Plin. NH II § 206, [Arist.] *περὶ κόσμου* p. 396 a 20 exposuit. Item Atlantidis insulae fabulam Platonicam philosophus tutatus erat, ut ex Strabon. II p. 102 cognovimus. Postremo haud parvi momenti ad sententiam meam fulciendam esse puto duas imagines, quas auctor e Posidonii facetа oratione[2]) sumpsit. Etenim illud *'ῥεῦμα πυρός'* de mundi conflagratione dictum (p. 43, 15) apud auctores, quos e Posidonio pendere constat, in Aetnae eruptionum descriptione recurrit velut apud Arist. pers. *περὶ κόσμου* p. 400 a 31 *(χειμάρρου δίκην)*, Apul. de mundo 34 (flammarum flumina), Strabon. V p. 247 *(πηγαὶ τοῦ πυρός*, cf. Sudhaus p. 66), Plin. NH II § 236 (rivi ignium). Imprimis autem illud *πάθος* (p. 41, 17, ubi de Rhegio verba facit auctor) Posidonii ornatum dicendi genus olet, quippe qui terrae motus, maris aestum, eruptiones *'πάθη'* significare solitus sit; cf. Aetii Plac. III 17, 4 (Doxogr. gr. p. 383 b 8): *Ποσειδώνιος ὑπὸ μὲν τῆς σελήνης κινεῖσθαι τοὺς ἀνέμους, ὑπὸ δὲ τούτων τὰ πελάγη, ἐν οἷς τὰ προειρημένα γίγνεσθαι πάθη*, Strabo VI p. 258 (vide supra), VI p. 275: *συγγενῆ δὲ καὶ τούτοις καὶ τοῖς κατὰ τὴν Σικελίαν πάθεσι τὰ περὶ τὰς Λιπαραίων νήσους . . . δείκνυται* p. 579. 758 anonym. libr. *περὶ κόσμου* 394 a 7. 395 b 35: *πάθος τοῦτο δ καλεῖν εἰώθαμεν*

[1]) Quae ibi de Aetna, Liparis, Pithecusis etc. sequuntur, Posidonianam doctrinam suppeditant, ut omnia cetera, quae de terrae motibus ac montibus flammas evomentibus apud Strabonem legimus (cf. Hunrath 'Die Quellen Strabos im 6. Buch' Kassel 1879 p. 41. Dubois l. l. p. 325. 361. Sudhaus p. 62 sq.).

[2]) cf. Martin. 'Lucubr. Pos.' sp. I p. 156.

σεισμόν. 397 a 27. 400 a 24. Senec. NQ III 15, 5. 7. VI 2, 8. 3, 1. 14, 2. 18, 6. 24, 4.[1]) Cum apud Lydum (de mens. IV 115 W) illud 'πάθος' nec non 'πηγαὶ πυρός' metonymia exstent, haud scio an Posidonium, qui ipse Panaetii magistri auctoritatem sequebatur, Lydus ante oculos habuerit. Nam cetera omnia in Posidonium quadrant praeclarissime (de Philadelphia cf. Sudhaus l. l. p. 65, de Thera et Therasia l. l. p. 60, de asphalto, bitumine, sulfure l. l. p. 165. 173. Dubois l. l. p. 327. Oder l. l. p. 336 n. 145).

Ad Posidonium quoque hoc loco versus illos Ovidii Pythagoreo colore tinctos referam (Metam. XV 237 sq.), qui eandem rem supra in quaestionem vocatam tractant. Quos ex Stoico fonte manasse iam Ruschius (l. l. p. 24 n. 20) ex v. 250 (de elementorum vicissitudine) et ex v. 342 ('sive est animal tellus') collegit. Ad Posidonium, quem Pythagoreae disciplinae indulsisse scimus (cf. Schmekel l. l. p. 437), revocamur vv. 262 sq. qui verbotenus fere cum Posidonii eclogis apud Strab. et anonym. libr. περὶ κόσμου servatis (vide supra p. 3 sq.) consentiunt: 'Vidi ego, quod fuerat quondam solidissima tellus, Esse fretum, vidi factas ex aequore terras; Et procul a pelago conchae iacuere marinae, Et vetus inventa est in montibus ancora summis[2]); Quodque fuit campus, vallem decursus aquarum Fecit et eluvie mons est deductus in aequor; Eque paludosa siccis humus aret arenis, Quaeque sitim tulerant, stagnata paludibus hument. Hic fontes natura novos emisit, at illic Clausit, et aut imis commota tremoribus orbis Flumina prosiliunt aut exsiccata residunt.' Tum Lycus, Erasinus, Caicus commemorantur ut apud Strabon. VI p. 275 (cf. VII p. 389), Plin. NH II 225, Sen. NQ VI 8. III 26, quorum fontem Posidonium esse Sudhausius (l. l. p. 69) et Ruschius (p. 46) statuerunt. Neque forte accidisse videtur, ut apud Ovidium v. 287 sqq. eodem ordine Pharus, Tyrus, Leucas, Zancle, Helice, Buris, Methone enumerentur, quo apud Strabonem (p. 58), cuius loci Stoicus ille auctor est; nam et p. 57 Posidonianam doctrinam Strabo amplexus est (cf. Sen. NQ II 26, 4. VI 24, 5) et p. 60 (vide supra p. 5). v. 299 sq. terrae motus secundum Posidonium explicatur (cf. Strab. VI p. 276. Diog. Laert. VII 154. libr. anon. περὶ κόσμου p. 395 b 17. Sen. NQ III 16, 4. VI 21, 1. Iustin. IV 1).

[1]) De ista ratione Posidonii terram animal interpretantis plura disseruit Oder 'Ein angebl. Bruchstück Demokrits' in Philol. suppl. VII p. 289 sq. 296. 312. Quam egregiam commentationem ut me tum demum, cum hanc dissertationem prelo subieci, cognovisse valde doleo, ita multis in rebus cum viro illo doctissimo me concinuisse laetor.

[2]) Xanthi Lydi, Stratonis, Eratosthenis illas rationes apud Strab. (p. 48) prolatas patet Posidonium in libro de oceano commemorasse (cf. Dubois l. l. p. 361. Oder l. l. p. 334 n. 142). De ancoris in montibus inventis alios locos congessit v. Lasaulx 'Die Geologie d. Griechen u. Römer' 1851 p. 13.

Dubius haereo, imagines illas (v. 303. 304) Ovidius ipse composuerit an ex fonte hauserit; ista enim ad Posidonii orationem quadrent (vide Martin. 'Lucubr. Posid.' spec. I p. 158). Quae Ovidius v. 308 sq. de mirabilibus fontibus, lacubus, fluviis narrat, etiam inveniuntur apud Plin. NH II 226. 228. 230. XXI 13. 16 et Vitruv. de arch. VIII 3, 14. 15. 16. 17. 21, qui ibid. 21 Posidonium citat; cf. Oder l. l. p. 357 n. 177. Quos auctores etsi Theophrastum quoque afferre potuerunt, verisimilius est Posidonio usos esse, qui nonnulla e Theophrasto accepit; nam talia θαυμάσια Stoicum proferre in deliciis habuisse scimus (cf. Martin. 'Lucubr. Pos.' sp. I p. 160 et quae Oder l. l. p. 344. 346 luculenter disseruit). Nec non vv. 340 sq. cum Posidonii ratione praeclarissime conciliari possunt. Nonne philosophi illius mos erat τὸ αἰτιολογικόν sequi? non priorum opiniones colligere? De re ipsa cf. Aetn. v. 324 cum Sudhausii notis. Similiter ut v. 382 Ovidius disseruit Posidonius apud Strabonem (VI p. 274; cf. Dubois l. l. 325. 361. Sudhaus p. 67): τὸ μὲν οὖν ἐκλείπειν ποτὲ τὰ πνεύματα καὶ τὸ πῦρ ἐπιλειπούσης τῆς ὕλης οὐκ ἄλογον.

Haec hactenus; iam vero ad propositum revertamur. v. 166 (item v. 596) Manilius terram insulam vocat (Malch. p. 29). Quam sententiam Posidonius copiosius in libro de oceano tutatus est, ut Strabo testatur (II p. 95. 98. 100). Secundum Posidonium idem professi sunt Cic. de nat. deor. II 165. Somn. Scip. 21 (cf. Corssen 'De Posidonio Rhodio Ciceronis . . . auctore' Bonnae 1878 p. 40 sq.), [Arist.] π. κόσμου p. 392 b 21, Plin. NH II § 166.

v. 168 (= IV 777) poeta terram immobilem pendere statuit, cuius sententiae Posidonium auctorem esse ex Achill. c. 4 et 9 Malchinus coniecit (p. 15). Imprimis autem afferri oportuit Diog. Laert. VII 145: δοκεῖ δ' αὐτοῖς σφαιροειδῆ εἶναι καὶ τὰ ἄστρα καὶ τὴν γῆν ἀκίνητον οὖσαν (paulo ante Posidonius citatur). Praeterea huc faciunt Cic. de nat. deor. II § 98. 115. Somn. Scip. 18.[1]) [Arist.] π. κόσμου p. 392 b 34. Plin. II § 11. 265. Sueton. de nat. rer. p. 244, 11 sq. R. Clemens Roman. Recogn. VIII 20.

Ex v. 170 sq. 'medium totius et imum est' (= 167 'Imaque de cunctis mediam et tenet undique sedem' 550. III 226) quem Malchinus explicare intermisit, Posidonii sententiam e Chrysippo acceptam comperimus (cf. Doxogr. gr. p. 466, 15 D.: τελευταίαν

[1]) Alium Ciceronis locum (Tuscul. disp. I § 68: globum terrae eminentem e mari, fixum in medio mundi universi loco) non cum Hartlichio (Leipz. Stud. XI [1888] p. 291) Posidonio vindicem propterea, quod Cicero torridam zonam inhabitabilem vocans aliam atque Posidonius sententiam amplectitur, nempe Stoicorum rigidorum ut Cleomedes (p. 60 Z). An Stoicus protrepticum suum, in quem cetera praeclare quadrant, ante librum de oceano, ubi quid de terrae zonis sentiret, protulit, composuisse putandus est? Quod nego.

δὲ τὴν τῆς γῆς περὶ τὸ μέσον σημεῖον τοῦ κόσμου, ὃ δὴ τοῦ παντός ἐστι κάτω)[1]. Posidonii opinionem servaverunt Cleom. I 9 p. 90 Z. (cf. I 1 p. 10, 20. 18, 10. 27. 20, 11). Cic. de n. d. II § 84. 98. 116. Tusc. disp. V § 69. Somn. Scip. 17. 18. [Arist.] π. κόσμου p. 392 b 33. 35. Plin. II § 11. 176.

v. 202 sq. Manilius terrae formam rotundam sicut mundi[2] explicat, quod ad Posidonium spectare ex Cic. de n. d. II § 45. 47, Achill. c. 6 (p. 37 M) et Cleom. (p. 82 Z) elucet (cf. Malch. p. 16). Praeterea afferamus necesse est Diog. Laert. VII 145 (v. supra p. 7) et 140: ἕνα εἶναι τὸν κόσμον, σχῆμ' ἔχοντα σφαιροειδές· πρὸς γὰρ τὴν κίνησιν ἁρμοδιώτατον τὸ τοιοῦτον, καθά φησι Ποσειδώνιος ἐν τῷ πέμπτῳ τοῦ φυσικοῦ λόγου. Quod eum in epitoma meteorologica iterasse patet; nec non in libro de oceano illam sententiam professus est, ut rei ratio postulabat, secundum Strabon. II p. 94: ἔστιν οὖν τι τῶν πρὸς γεωγραφίαν οἰκείων τὸ τὴν γῆν ὅλην ὑποθέσθαι σφαιροειδῆ, καθάπερ καὶ τὸν κόσμον ... Posidonianae doctrinae vestigia persecuti sunt Cic. de nat. deor. II § 49. 116. de orat. III 178. Tim. 6. Somn. Scip. 15. Plin. II § 5. 160. 177 sq. Sueton. de nat. rer. p. 202 R. Mire conspirant Manilii vv. 228. 229: 'Quodsi plana foret tellus, simul orta per omnem Deficeret, pariter toti miserabilis orbi' (sic recte corr. Breiterus in Fleckeis. annal. vol. CIX 1889 p. 194) cum verbis Plinii NH II § 180, qui item ex lunae defectu exorsus est: 'Quodsi plana esset terra, simul omnia parerent cunctis' et Cleomed. p. 74, 29 Z: εἰ πλατεῖ καὶ ἐπιπέδῳ τῷ σχήματι ἐκέχρητο (ἡ γῆ), εἰς ἂν ἦν ὁρίζων παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις. Iam vides, qua ratione isti Posidonii sectatores fontem suppilaverint. Illi duo scriptores idem Posidonii argumentum de navibus petitum servaverunt; cf. Plin. § 164: 'eadem est causa, propter quam e navibus terra non cernatur e navium malis conspicua' et Cleomed. p. 84, 5: καὶ ἐν αὐτοῖς δὲ τοῖς πλοίοις ὁπόσα μέρη οὐχ ὁρᾶται ἀπὸ τῶν καταστρωμάτων καὶ ἐκ κοίλης νεώς, ταῦτα ἐπὶ τοῦ ἱστοῦ ἀνιόντες καὶ τὰ ἐπιπροσθοῦντα τῶν κυρτωμάτων ὑπερτιθέμενοι πολλάκις ὁρᾶν εἰώθαμεν. Ad Manilii v. 211 'Haec aeterna manet divisque simillima forma' comparandi sunt Senec. epp. 113, 22: 'si rotundam illis qualem deo dederint (formam) quaeram ...' et Varro apud Sen. de mort. Claud. 8, 1: 'modo dic nobis, qualem deum istum fieri velis? ... Stoicus? quomodo potest rotundus esse, ut ait Varro ...?' Item Cic. de nat. deor. II 46: 'Epicurus dicat se non posse intellegere, qualis sit volubilis et rotundus deus.'

[1]) Chrysippus Aristotelem (de coel. I p. 268 b) secutus est.

[2]) E mundi rotunditate terram esse rotundam item Posidonius coniecit testibus Strab. II p. 94. 100, Cic. de nat. deor. II 45, Plin. II 30.

Ad v. 215 'nusquam invenies fulgere Canopum, Donec Niliacas per pontum veneris oras' perperam Malchinus (p. 10) annotavit eandem falsam Posidonii observationem (!) Geminum protulisse. At apud Geminum (p. 42, 4 Manit.) legimus: Οὗτος μὲν (sc. ὁ Κάνωπος) ἐν Ῥόδῳ δυσθεώρητός ἐστιν ἢ παντελῶς ἀφ' ὑψηλῶν τόπων ὁρᾶται. Ergo secundum Posidonium etsi rarissime stella Canopi in insula Rhodo conspici poterat. Idem de Posidonio nobis tradiderunt Cleomed. p. 92, 26 sq. (ἀρχὴν τοῦ ὁρᾶσθαι ἐν Ῥόδῳ λαμβάνει καὶ ὀφθεὶς ἐπὶ τοῦ ὁρίζοντος εὐθέως κατὰ τὴν στροφὴν τοῦ κόσμου καταδύεται), Strabo (II p. 119), Proclus (comm. in Tim. p. 277 E: τὸν Κάνωπον ... τοῖς δὲ ἐν Ῥόδῳ παραξέοντα τὸν ὁρίζοντα, καθάπερ λέγει Ποσειδώνιος), Plin. NH II 178 (... ut Canopus ... a Rhodo terram quodam modo ipsam stringere videatur). Praeterea cf. Maassii Aratea p. 363. Cum vero Posidonius stellam Alexandriae quartam fere partem unius signi super terram eminere deinde professus sit (v. Plin. l.l., Cleomed. l.l., Gemin. l.l.), elucet Manilium philosophi sententiam parum diligenter reddidisse. Non secus Vitruvius quaestionem aggressus est (de arch. IX 7, 4: 'stella Canopi, quae his regionibus est ignota, renuntiant autem negotiatores, qui ad extremas Aegypti regiones ... fuerunt').

Ac ne de vv. 236 sq. quidem Malchinus recte iudicavit, ubi de antipodibus verba facit poeta. Vir ille doctus, a Martinio (cf. Mus. Rhen. vol. LII [1897] p. 353 n. 2) iam obiter castigatus, Manilii versus ad Gemini c. 16 (p. 160 M) et Cleom. p. 22 Z. rettulit nec rectius Achillis cap. 30 ad Posidonium revocavit. At quae illi scriptores de perioecis, antoecis, antichthonibus, antipodibus professi sunt, non Posidonii, sed Cratetis doctrinam complectuntur (cf. Berger 'Gesch. d. wiss. Erdk. d. Gr.' III 120 sq. 'Ber. d. K. Sächs. Ges. d. W.' 1897 p. 71. 1898 p. 123), qui inter zonas temperatas quattuor continentes sive insulas dispertivit. Manilius vero ex terrae rotunditate profectus nostram terram et alteram adversam habitari explicat. Atque Posidonius, qui ista in libro de oceano in quaestionem vocavit, item ex terrae rotunda forma exorsus (cf. Strab. II 2, 1 p. 94), torridam zonam habitari posse statuens (apud Cleomed. p. 58, 6 et Strab. II p. 95) ita, ut oecumene et antoecumene unum continentem efficerent, in nostro hemisphaerio unam insulam, in altero alteram sive plures esse contenderat, quas antipodes incolerent (vide Berger l.l. 1897 p. 68. 1898 p. 101. 116).[1]) Cuius sententiae vestigia invenimus apud auctorem libri π. κόσμου p. 392 b 20: τὴν μὲν οὖν οἰκουμένην ὁ πολὺς λόγος εἷς τε νήσους καὶ ἠπείρους διεῖλεν ἀγνοῶν ὅτι

[1]) cf. etiam H. Kretschmer 'Die Entdeckung Amerikas ...' [1892] p. 53.

καὶ ἡ σύμπασα μία νῆσός ἐστιν ὑπὸ τῆς Ἀτλαντικῆς καλουμένης θαλάσσης περιῤῥεομένη· πολλὰς δὲ καὶ ἄλλας εἰκὸς τῇδε ἀντιπόρθμους ἄποθεν κεῖσθαι, τὰς μὲν μείζους αὐτῆς, τὰς δὲ ἐλάττους, ἡμῖν δὲ πάσας πλὴν τῇδε ἀοράτους. Similiter Arius Didymus (fr. 31 Dox. gr. p. 465, 22), quode vide Susemihl l. l. II p. 327 n. 437. Huc faciunt Plin. N H II 161 sq.: 'Ingens hic pugna litterarum contraque vulgi circumfundi terrae undique homines conversisque inter se pedibus stare et cunctis similem esse verticem simili modo ex quacumque parte mediam calcari, illo quaerente, cur non decidant contra siti, tanquam non ratio praesto sit, ut nos non decidere mirentur illi' et Achill. p. 65, 10 M.: καλοῦνται δὲ οἱ μὲν ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ ἡμισφαιρίου βόρειοί τε καὶ νότιοι κατοικοῦντες αὐτόχθονες, οἱ δ' ἐφ' ἑκάτερα τῶν ἡμισφαιρίων ὑπὲρ γῆς τε καὶ ὑπὸ γῆν ἀντίποδες. Praeterea cf. Serv. ad Aen. VI 532. Macrob. comm. in Somn. Scip. II 5, 26. Strab. I 1, 13 p. 7: ὁμοίως καὶ τὸ παρ' Ἰνδοῖς οἰκεῖν ἢ παρ' Ἴβηρσιν (παμπόλλην ἔχει διαφοράν)· ὧν τοὺς μὲν ἑῴους μάλιστα, τοὺς δὲ ἑσπερίους, τρόπον δέ τινα καὶ ἀντίποδας ἀλλήλοις ἴσμεν. E Posidonio item fluxisse putem Lucretii vv. 1074 sq. libri secundi: 'necesse est confiteare Esse alios aliis terrarum in partibus orbis Et varias hominum gentis et saecla ferarum.' Nam Epicuri antipodes esse negantis (v. Epicurea p. 230 U. Cic. Acad. II 123. Serv. ad Ge. I 235. 243. 247) meram sententiam l. I v. 1060 sq. protulit. Quibus rebus perspectis nostro iure Posidonium Columbo auctorem ad Americam reperiendam exstitisse contendamus. Nam ut multa apud Strab., Plin., alios, quae auctorum ipsorum esse adhuc putabamus, fonti illorum, Posidonio, sunt imputanda [cf. e. g. Oder l. l. 328 n. 129 fin.], ita loci illi, quibus perlectis Columbus arbitrabatur, si ab occidente protinus veheretur, fieri non posse, quin et novas insulas reperiret et ad Indiam perveniret [1]), ad eundem philosophum cadunt. Vide Berger 'Ber. d. S. G. d. W.' 1897 p. 68 sq. 75. 1898 p. 143. Buedinger 'Die Universalhist. im A.' 1895 p. 107.

Manilius ergo Posidonii doctrinam de antipodibus et de ratione, quae inter continentem et mare intercedit, illis versibus servavit, quorum v. 246 maxime nos tenet: 'Pontus utrosque suis distinguit et alligat undis'.[2]) Haud scio an ad Posidonium quoque, qui ultimus Graecorum philosophorum istas quaestiones tractaverat, complures patrum ecclesiasticorum loci, qui de anti-

[1]) cf. A. v. Humboldt 'Krit. Untersuch.' I [1836] p. 97. 107. 114. 189. Kretschmer l. l. p. 257. 259. 261 sq.

[2]) cf. Sen. NQ II 1, 4: 'propria terrae ipsius excutimus suo loco . . . alliget aquas an aquis alligetur', qui his verbis Eratosthenis sive Posidonii et Hipparchi de oceano controversiam significat.

podibus sunt, revocare liceat. Velut illam Lactantii argumentationem (divin. inst. III 24, 4 sq.): 'quae igitur illos ad antipodas ratio perduxit? videbant siderum cursus in occasum meantium, solem atque lunam in eandem partem semper occidere et oriri semper ab eadem . . . existimaverunt rotundum esse mundum sicut pilam et ex motu siderum opinati sunt caelum volvi . . . 6 itaque et aereos orbes fabricati sunt quasi ad figuram mundi eosque caelarunt portentosis quibusdam simulacris, quae astra esse dicerent [1]). hanc igitur caeli rotunditatem illud sequebatur, ut terra in medio sinu eius esset inclusa. quod si ita esset, (esse) etiam ipsam terram globo similem . . . sequebatur, ut nulla sit pars terrae, quae non ab hominibus ceterisque animalibus incolatur.[2]) Sic pendulos istos antipodas caeli rotunditas adinvenit. quodsi quaeras ab iis qui haec portenta defendunt, quomodo ergo non cadant omnia in inferiorem illam caeli partem, hanc respondent rerum esse naturam, ut pondera in medium ferantur et ad medium conexa sint omnia.' [3])

Totum Manilii vv. 147 usque ad vv. 212 sq. argumentum Augustinus breviter complectitur de civ. dei XVI 9 (II p. 142 rec. Hoffmann): '. . . et antipodas esse fabulantur, id est homines a contraria parte terrae ubi sol oritur, quando occidit nobis, adversa pedibus nostris calcare vestigia . . . . coniectant eo quod intra convexa caeli terra suspensa sit eundemque locum mundus habeat et infimum et medium: et ex hoc opinantur alteram terrae partem quae infra est habitatione hominum carere non posse . . . etiamsi figura conglobata et rotunda mundus esse credatur.' Ibid. V 5 ab Augustino Posidonius magnus astrologus idemque philosophus dictus erat.

Ceterum ne Maassium quidem recte hac de quaestione iudicasse video, cum statueret Achill. c. 29 extr. (p. 64, 28) e Posidonio esse haustum. At ibidem torrida zona ἀοίκητος nominatur, quod prorsus Posidonium negasse scimus.

Quod autem attinet ad Gemini cap. 16, recte quidem priorem partem ad Posidonium redire posse Martinius (Qu. Pos. p. 383)

[1]) Posidonius planetarium artificiosum composuerat cf. Schmekel. l. l. p. 284 n. 1.

[2]) cf. Cleomed. p. 28, 8: φιλόζωος γὰρ ἡ φύσις καὶ ὅπου δυνατόν, τῆς γῆς πάντα ἐμπεπλῆσθαι καὶ λογικῶν καὶ ἀλόγων ζώων, λόγος αἱρεῖ. Quae hoc loco Cleomedes ignotum auctorem secutus (cf. Martin. 'Lucubr. Pos.' sp. II p. 354) de temperatis zonis tantummodo disseruit, Posidonius pro ratione sua amplificare potuit torridum cingulum terrae habitabilem et temperatum esse arbitratus.

[3]) cf. Cleom. p. 10, 19. 18, 11. Achill. p. 38, 30. Cic. de nat. deor. II 115, qui Posidonium secuti sunt. Gemin. p. 164, 2 Crateteam sententiam protulit.

negavit. At p. 172, 24. 174, 7 sq. nec non p. 176, 16 meram illius philosophi sententiam de zona torrida legimus. Equidem Geminum omnia sua e Posidonii libro de oceano una cum Cratetis et Polybii argumentatione sumpsisse reor, quod Strabonis II p. 95—103 evincitur. Ubi auctor eundem in modum atque Geminus et Cratetis opinionem eundem Homeri versum citantis et Polybii doctrinam profert. Conferantur inter sese haec:

Strabon. II p. 97: *εἰ δ' ὥσπερ Ἐρατοσθένης φησίν, ἡ ὑποπίπτουσα τῷ ἰσημερινῷ ἐστιν εὔκρατος, καθάπερ καὶ Πολύβιος ὡμοδοξεῖ (προστίθησι δ' οὗτος καὶ διότι ὑψηλοτάτη ἐστί· διόπερ καὶ κατομβρεῖται τῶν βορείων νεφῶν κατὰ τοὺς ἐτησίας ἐκεῖ τοῖς ἀναστήμασι προσπιπτόντων πλείστων) πολὺ κρεῖττον τρίτην (τὴν) εὔκρατον ταύτην ποιεῖν στενήν τινα ἢ τὰς ὑπὸ τοῖς τροπικοῖς εἰσάγειν. συνηγορεῖ δὲ τούτοις καὶ τὰ τοιαῦτα, ὧν μέμνηται καὶ Ποσειδώνιος, τὸ ἐκεῖ τὰς μεταστάσεις ὀξυτέρας εἶναι τὰς εἰς τὰ πλάγια... Ἐνίσταται δ' ὁ Ποσειδώνιος τῷ Πολυβίῳ, διότι φησὶ τὴν ὑπὸ τῷ ἰσημερινῷ οἴκησιν ὑψηλοτάτην· οὐδὲν γὰρ εἶναι ... ὕψος διὰ τὴν ὁμαλότητα οὐδὲ δὴ ὀρεινὴν εἶναι τὴν ὑπὸ τῷ ἰσημερινῷ, ἀλλὰ μᾶλλον πεδιάδα ἰσόπεδόν πως τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς θαλάττης· τοὺς δὲ πληροῦντας τὸν Νεῖλον ὄμβρους ἐκ τῶν Αἰθιοπικῶν ὀρῶν συμβαίνειν ... συγχωρεῖ φήσας ὕρη εἶναι τὰ ὑπὸ τῷ ἰσημερινῷ, πρὸς ἃ ἑκατέρωθεν ἀπὸ τῶν εὐκράτων ἀμφοῖν προσπίπτοντα τὰ νέφη ποιεῖν τοὺς ὄμβρους.*

Gemin. p. 176, 23: *Πολύβιος οὖν ... πεπραγμάτευται βιβλίον ὃ ἐπιγραφὴν ἔχει 'περὶ τῆς ὑπὸ τὸν ἰσημερινὸν οἰκήσεως'· αὕτη δέ ἐστιν ἐν μέσῃ τῇ διακεκαυμένῃ ζώνῃ. καί φησιν οἰκεῖσθαι τοὺς τόπους καὶ εὐκρατέραν ἔχειν τὴν οἴκησιν τῶν περὶ τὰ πέρατα τῆς διακεκαυμένης ζώνης κατοικούντων ...* p. 178, 19: *.. ἐπιμονῆς μὲν οὐ γινομένης ἐπὶ τοῦ κατὰ κορυφὴν σημείου, ταχέως δὲ ἀποχωροῦντος τοῦ ἡλίου. πάντες γὰρ οἱ μεταξὺ τῶν τροπικῶν κύκλων οἰκοῦντες παρὰ τὴν πάροδον ὁμοίως κεῖνται τοῦ ἡλίου· πλείονας δὲ χρόνους ἐπιμένει τοῖς περὶ τοὺς τροπικοὺς οἰκοῦσι ...*

Cleomed. p. 56, 26: *Σχολαιότερον δὲ ... τοῦ ἡλίου προσιόντος τοῖς τροπικοῖς καὶ ἀποχωροῦντος καὶ διὰ τοῦτο ἐπὶ πλέον περὶ αὐτοὺς ἐγχρονίζοντος καὶ οὐκ ὄντων ἀοικήτων τῶν ὑπ' αὐτοῖς ... ὁ Ποσειδώνιος πᾶν τὸ ὑπὸ τὸν ἰσημερινὸν κλίμα εὔκρατον εἶναι ὑπέλαβε... Ὅπου γάρ, φησίν, ἐπὶ πλέον τοῦ ἡλίου περὶ τοὺς τροπικοὺς διατρίβοντος, οὐκ ἔστιν ἀοίκητα τὰ ὑπ' αὐτοῖς... πῶς οὐκ ἂν πολὺ πλέον τὰ ὑπὸ τῷ ἰσημερινῷ εὔκρατα εἴη, ταχέως τῷ κύκλῳ τούτῳ καὶ προσιόντος τοῦ ἡλίου καὶ πάλιν ἴσῳ τάχει ἀφισταμένου αὐτοῦ καὶ μὴ ἐγχρονίζοντος περὶ τὸ κλίμα ... Καὶ τοῦ ἀέρος τούτου ἐν τῷ μεσαιτάτῳ καὶ βαθυτάτῳ τῆς σκιᾶς ὄντος, καὶ ὄμβροι γενήσονται καὶ πνεύματα δυνάμενα ἀναψύχειν τὸν ἀέρα· ἐπεὶ καὶ περὶ τὴν Αἰθιοπίαν ὄμβροι συνεχεῖς καταφέρεσθαι ἱστοροῦνται περὶ τὸ θέρος... ἀφ' ὧν καὶ ὁ Νεῖλος πληθύειν τοῦ θέρους ὑπονοεῖται.*

Praeterea ista comparentur:

Strabon. II p. 103: *... διὸ καὶ Ὅμηρον πάντας λέγοντα Αἰθίοπας δίχα διελεῖν· 'οἱ μὲν δυσομένου Ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος'· Κράτητα δ'* (sic Cas.) *εἰσάγοντα τὴν ἑτέραν οἰκουμένην, ἣν οὐκ οἶδεν Ὅμηρος, δουλεύειν ὑποθέσει* (dicit Posidonius in libro de oceano).

Gemin. p. 174, 17: *τοῦτο δέ φησι Κράτης καὶ τὸν Ὅμηρον λέγειν, ἐν οἷς φησιν· 'Αἰθίοπες, τοὶ διχθὰ δεδαίαται ἔσχατοι ἀνδρῶν, οἱ μὲν δυσομένου Ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος.' Κράτης μὲν οὖν παραδοξολογῶν τὰ ὑφ' Ὁμήρου ἀρχαϊκῶς καὶ ἰδικῶς εἰρημένα μετάγει πρὸς τὴν κατὰ ἀλήθειαν σφαιροποιίαν.*

His rationibus confirmatur Strabonem, Cleomedem, Geminum communem fontem, Posidonii librum de oceano, adhibuisse; quamquam Geminus et Cleomedes de habitationibus terrae Crateteam doctrinam inde haustam secuti sunt, quia usitata et vulgaris opinio erat.

vv. 255 usque 274 secundum Posidonium poeta zodiacum describit (Malch. p. 10); in axe et sphaera signorum describendis Arateam doctrinam amplexus est (cf. Malch. p. 47). Recte Malchinus v. 393 Posidoniana contineri intellexit (cf. Gemin. p. 254, 3). Posidonium quoque de axe et polis disseruisse praeter Achill. p. 51, 4 et Gemin. p. 42, 11 confirmant [Aristot.] *περὶ κόσμου* p. 391 b 20 sq. Cleomed. p. 64, 13. Suet. p. 202 R. Vitr. IX 4, 2. Plin. II 63. Mart. Cap. VIII 815.

Manilii versus sequentes, qui de parallelis sunt (v. 561 sq.), Malchinus (p. 6. 20), Gemino (p. 42, 25) et Achille (p. 56, 7) collatis ad Posidonium revocavit. At virum doctum effugit Posidonium et Aristotelem et Polybium reprehendisse, quod temperatam nostram zonam mutabili arctico determinari finxissent (Strab. II p. 94. 95: *τοῖς τε ἀρκτικοῖς οὔτε παρὰ πᾶσιν οὖσιν οὔτε τοῖς αὐτοῖς πανταχοῦ τίς ἂν διορίζοι τὰς εὐκράτους, αἵπερ εἰσὶν ἀμετάπτωτοι;*) [1]. Atque in eundem errorem inciderunt Geminus, Achilles, Cleomedes (p. 20, 18 sq. c. 5 et 7 passim), Manilius. Itaque hi auctores veterem ac vulgarem sententiam, Aristoteleam, cuius Posidonium mentionem fecisse patet, praetulerunt; cf. etiam Macrob. in Somn. Scip. II 6. [2])

[1]) Vide Berger 'Gesch. d. w. Erdk. d. Gr.' IV 65.

[2]) Cetera, quae illi scriptores de circulis proferunt, vere Posidoniana esse recte Malchinus probavit, praeterquam quod Cleomedem afferre omisit.

De meridiano (v. 631) praeter Geminum (p. 66, 2) et Achill. (p. 51, 21 sq.) huc Cleomed. p. 92, 3 Malchinus afferre debuit (cf. etiam Macrob. l. l. I 15, 15). De horizonte (v. 648) Cleomedes p. 38, 25 sq. fusius secundum Posidonium disseruit; eadem horizontis definitio, quae apud Manil. v. 665 et Achill. p. 51, 27 legitur, recurrit apud Cleom. p. 70, 18. Praeterea adeas Cic. de div. II § 44. Sen. NQ V 17, 3. Macrob. Somn. Scip. I 15, 17. Mart. Cap. VIII 826, qui ibid. 832 de coluris quoque disputavit.

Ad vv. 703 sq. (de orbe lacteo) confer Dielsii lucidissimam commentationem, qua rectam viam Manilii fontes eruendi aperuit, in Rhen. Mus. vol. XXXIV p. 487 (vide etiam Bouché-Leclercq 'L'astrologie grecque' 1899 p. 22 sq.).

vv. 805 sq. (item V 6, quem locum docti viri adhuc omiserunt) Posidonii doctrinam de planetarum ordine reperimus, cuius alia exempla Martinius collegit (v. Rhen. Mus. a. 1897 p. 358): Cleom. p. 30, 16. Plin. II 6. Vitr. IX 4. Gemin. p. 12, 24. Hermipp. p. 18 Kr. et V. Schol. in Arat. p. 427, 17 M. Firm. Mat. p. 6, 3 Sittl. Ptolem. Tetr. p. 5 (Basil. 1535). Somn. Scip. 17. Equidem adiecerim Achill. p. 42, 25 M., Serv. ad Aen. VI 127 (secundum Varronem Posidonio usum), Suet. de nat. rer. p. 215, 10 R. Quoniam Martinius l. l. recte negavit Ciceronem de nat. deor. II 52 Posidoniana referre, neque Schmekelius (l. l. p. 270. 282. 464) nec Susemihlius (l. l. II praef. V p. 707. 709) ullo iure Panaetii Posidoniique de planetarum serie opiniones disiunxerunt: immo potius vir Apameensis a magistri opinione haudquaquam dissensit, siquidem recte Panaetius Ciceroniani loci de div. II 91 parens putatur.

vv. 813 sq. poeta cometarum origines formasque describit. Totam disputationem ad Posidonium revocare vel idcirco licet, quia Posidonii more multorum sententiae enumerantur. Idem iam Dielsius (Dox. gr. p. 230 sq.) iudicavit de scholiasta Arati (p. 545, 8 M), Achillis isagoga (p. 69), Aetii Placitis p. 366 D. Atque secundum Posidonium cometae ex aere denso affrictu aetheris gignuntur. Vide Diog. Laert. VII 152, qui post arcus definitionem ex Posidonii epitoma meteorologica petitam pergit: *κομήτας τε καὶ πωγωνίας καὶ λαμπαδίας πυρὰ εἶναι ὑφεστῶτα πάχους ἀέρος εἰς τὸν αἰθερώδη τόπον ἀνενεχθέντος.* Recte igitur Bakius ('Rell. Posid.' Lugd. 1810 p. 79) verba Scholiastae ad Arati v. 1091 (p. 546, 8 M) correxit: *ὁ δὲ Ποσειδώνιος ἀρχὴν γενέσεώς φησιν ἴσχειν τοὺς κομήτας, ὅταν τι τοῦ ἀέρος παχυμερέστερον εἰς τὸν αἰθέρα* (*ἀέρα* codd. Maass.) *ἐκθλιβὲν τῇ τοῦ αἰθέρος* (*ἀέρος* codd. Maass.) *δίνῃ ἐνδεθῇ, εἶτα πρὸς πλείονα δῖνον ἐπιῤῥεούσης τῆς συστροφῆς φέρωνται.* Praeterea huc faciunt Achill. p. 69, 20. [Arist.] *π. κόσμου* p. 395 b 4 sq. Sen. NQ I 1, 5. VII 20, 2 (ubi

Pos. citatur). 21, 1. Malchinus haud recte negavit (p. 21) cum Posidonii definitione poetae verba conciliari posse (v. 817. 832. 860). Prima quidem specie quispiam putet ibidem Manilium Aristotelis sententiam profiteri, si conferat meteorol. I 4. 6. 7. 8 et Sen. NQ I 1, 7. 8. At Posidonii opinio non procul aberravit ab Aristotelea: immo Stagiritae doctrinam paulum amplificasse putandus est. Primum enim Apameensis non secus atque ille ex aere sicco cometas oriri fecit, ut testis est Seneca (NQ II 54): 'Nunc ad opinionem Posidonii revertor: e terra terrenisque omnibus pars humida efflatur, pars sicca et fumida: haec fulminibus alimentum est, illa imbribus', quocum conferas VII 23, 3: 'nam est fax et fulmen et stella transcurrens et quisquis alius est ignis ex aere expresso.' Deinde Aristoteles ut Posidonius in aethere cometarum originem posuit: vide librum *περὶ κόσμου* p. 392 b 2: *ἐν δὲ τῇ πυρώδει καὶ ἀτάκτῳ λεγομένῃ (οὐσίᾳ) τά τε σέλα . . . καὶ δοκίδες καὶ βόθυνοι καὶ κομῆται λεγόμενοι στηρίζονται καὶ σβέννυνται πολλάκις.* Qui locus Aristoteli tribuendus est, quia antea (p. 392 a 29—34) aether divinus ab ignis elemento distinguitur *(αἰθέριος καὶ θεία φύσις . . . λεπτομερὴς καὶ φλογώδης οὐσία)* cf. Zelleri 'Hist. philos. Graec.' vol. III^3 1 p. 637 n. 3. Quibus ex causis Manilium rem non acute expressisse elucet, cum diceret (v. 820): 'Et solis radiis arescit torridus aer.' Versus sequentes autem meram Posidonii doctrinam continent, ut recte Malchinus l. l. docuit (cf. v. 821 cum Sen. NQ VII 20, 2. 21, 2. v. 823 cum Sen. l. l. 19, 2. v. 826 cum Sen. 23, 3. v. 834 cum Sen. 20, 4).

Altera sententia, quam poeta vv. 867—873 profert, Pythagoraeorum est (cf. Malch. l. l. Doxogr. gr. p. 366, 6). Tertiam denique, qua Manilius cometas a diis mitti statuit, ut hominibus rerum futurarum praesagia darent, Malchinus philosopho ulli ut stultam et vulgarem vindicare dubitavit. Equidem contenderim illam rationem, quae non de origine, sed de fine cometarum est, poetam a Posidonio ipso accepisse, qui quantopere superstitioni indulserit, satis constat. An fieri non potuit, ut philosophus ille, qui multa mirabilia memoriae tradidit, qui divinationem, qui astrologiam tutatus est, qui daemonas esse credidit, talia quoque profiteretur? E. g. cf. Cic. de div. I 118. Sen. NQ VII 28, 1. I 1, 4. Vide etiam Bouché-Leclercq l. l. p. 359 sq.

Haud alienum puto duos scriptores alios afferre, quos Malchinus omisit: Plinium et Laur. Lydum. Atque Plinium (NH II 89—94) e Posidonio pendere iam Wachsmuthius (ad Stob. ecl. I p. 227, 17) opinabatur. Quod recte se habere evincitur Plinii § 94, ubi easdem de origine cometarum sententias et Pythagoraeorum et Posidonii legimus: 'Sunt qui et haec sidera perpetua esse credant suoque ambitu ire, sed non nisi relicta a sole cerni

(= Manil. v. 867 sq.), alii vero qui nasci umore fortuito et ignea vi ideoque solvi (= Man. v. 817 sq.).' Tertiam illam Manilii opinionem Plinius explicuit apud Serv. ad Aen. X 272: 'Plinius etiam Secundus dicit cometas stellas esse naturales, quae apparent certis temporibus. Item hoc quoque commemorat cometas fieri de planetis quinque, unde interdum bonum, interdum pessima significant.' Lydum autem vel potius Apuleium, quem Lydus secutus est (cf. de ostent. ed. Wachsm. p. XXVII) duobus de cometis locis (de ostent. p. 31, 3 Wachsm. et de mens. IV 73 p. 154, 9 Wuensch.) Posidonium suppilasse ex definitione illa colligi potest, quam de mens. p. 155, 10 W. legimus: *οὐ γάρ εἰσιν ἀστέρες, ἀλλὰ θρομβώσεις τινὲς ἐξ ἀναθυμιάσεως τῆς γῆς ἀποτελούμεναι, ὧν ἡ γένεσις μὲν ἐξ ἀέρος τοῦ κατὰ συναφὴν ἐγκαταλαμβανομένου τῷ αἰθέρι · ὅθεν καὶ ἰσοταχεῖς αὐτῷ μέχρι διαπτώσεως συμπεριφέρονται.* Videmus ista mire conspirare cum Posidonii eclogis apud Diogen. Laertium et scholiastam Arati servatis. De formis planetarum singulis Plinius et Lydus et Manilius eadem fere pronuntiant; enumerantur enim crinitae stellae, *κομῆται* (Manil. v. 835. Plin. § 89. Lyd. de ost. p. 31, 5), barbae *πωγωνίαι* (Manil. 838. Plin. § 89. Lyd. p. 31, 6), trabes *δοκίδες* (Man. 840. Plin. § 96. Lyd. p. 34, 8), dolia *πίθοι* (Man. 842. Plin. § 90. Lyd. p. 31, 13), hirci *τράγοι* (Man. 843. Plin. § 90. Lyd. p. 32, 10), lampades sive faces *λαμπαδίαι* (Manil. 846. Plin. § 90. Lyd. p. 32, 1), 'praecipites' *ἵπποι* (?) [1]) (Man. 847. Plin. § 90. Lyd. p. 32, 2), sagittae *ἀκοντίαι* (Man. 850. Plin. § 89. Lyd. p. 31, 7). Plinius et Lydus soli commemorant praeterea xiphias, disceos, ceratias, typhones, tibias *(σάλπιγγας)*, bolides, chasmata. Atque hoc loco Lydus i. e. Apuleius Plinium secutus est; nam paene verbum pro verbo eum transvertit (cf. potissimum p. 32, 12 sq. cum Plin. §§ 91. 96). Altero autem illo loco (de mens. IV 73) alium Posidonii sectatorem adhibuit, ut definitione illa probatur, quam apud Plinium invenire non potuit; praeterea ibidem cometarum genera alio ordine enumerata legimus. Seneca, qui Aristoteleas rationes a Posidonio accepit (cf. Joh. Mueller 'Über d. Originalität der Nat. Qu. d. S.' 1893 p. 16), eadem fere genera enumerat Nat. Quaest. libris I et VII: capras I 1, 2, trabes, faces I 1, 5, pithias *(βοθύνους)*, chasmata I 14, 1, pogonias, lampades, cyparissias, trabes, pithias I 15, 4, columnas, clipeos VII 20, 2 (ubi Posidonius citatur cf. 4). Achilles tantum cometas, lampades, *δοκίδας* commemorat, Aristoteles personatus (sec. Aristotelem) cometas, docides, bothynos (p. 392 b 4), (sec. Posid.) faces, docides, dolia, bothynos (p. 395 b 11). Ad Manilii

[1]) An omnino poeta *τοὺς διάττοντας* significat?

versus de cometarum praesagiis, quae posteriores astrologi in artem redegerant, comparanda sunt verba Ptolemaei (Tetrab. II 9 ed. Basil. 1533 p. 90): *τηρητέον δὲ ἔτι καὶ τὰς συνισταμένας . . . . κομητῶν ἐπιφανείας πρὸς τὰς καθόλου περιστάσεις οἷον τῶν καλουμένων δοκίδων ἢ σαλπίγγων ἢ πίθων ἢ τῶν τοιούτων ὡς ἀποτελεσματικὰς μὲν φύσει τῶν ἐπὶ τοῦ ♂ καὶ τῶν τοῦ ☿ ἰδιωμάτων πολέμων τε καὶ καυσώνων ἢ κινητικῶν καταστημάτων καὶ τῶν τούτοις ἐπισυμβαινόντων* (vide etiam anonymi *εἰς τὴν τετράβ. ἐξήγ.* Basil. 1559 p. 76): *ἐπισυμβαίνει δὲ τοῖς μὲν πολεμίοις σφαγαί, θάνατοι, πολιορκίαι καὶ ὅσα τοιαῦτα, τοῖς δὲ δυσκράτοις καταστήματα, νόσοι, λοιμοί, θάνατοι καὶ ὅσα τοιαῦτα).* Cum praeterea Plinii verba (§ 92: referre arbitrantur, in quas partes sese iaculetur aut cuius stellae vires accipiat quasque similitudines reddat et quibus in locis emicet [cometes, terrificum magna ex parte sidus]) comparaverimus cum Ptolemaei loco modo allatum sequenti: *(ἐπιφανείας κομητῶν) δηλούσας δὲ διὰ μὲν τῶν τοῦ ζωδιακοῦ μερῶν* proxx. (quae iterata invenies apud Lyd. de ostent p. 28 adnot. W.), non dubitabimus statuere illis locis Manilium, Plinium, Ptolemaeum communem fontem, Posidonium, adhibuisse, cuius doctrinam Ptolemaeus iam priore libri secundi parte amplexus erat (vide Boll. l. l. p. 208. 216).

Ceterum cometarum generum enumeratione extrema poeta aliam Posidonii sententiam breviter stringit, quod Malchinus omisit. v. 853 enim: '(ignes) qui gravidas habitant fabricantes fulmina nubes' Manilius ut Posidonius fulmina nubium frictu oriri facit. Quode adi Diog. Laert. VII 154: *κεραυνὸν δ' ἔξαψιν σφοδρὰν μετὰ πολλῆς βίας πίπτουσαν ἐπὶ γῆς, νεφῶν παρατριβομένων ἢ ῥηγνυμένων ὑπὸ πνεύματος.* Dox. gr. p. 369, 29. [Arist.] *περὶ κόσμου* p. 395 a 14. Achill. p. 69, 23. Schol. Arat. p. 512, 24. Plin. II § 133. Sen. NQ II 54. Suet. p. 223, 4. Serv. ad Aen. I 42. Ceterum versus illi Stoicam originem prorsus denudantes, quos Manilius de igne omnibus mundi partibus permixto inseruit (852—858), mire congruunt cum Cic. de nat. deor. II 25: 'Atque id facilius cernemus toto genere hoc igneo, quod tranat omnia, subtilius explicato. Omnes igitur partes mundi . . . calore fultae sustinentur. Quod primum in terrena natura perspici potest. Nam et lapidum conflictu atque tritu elici ignem videmus: et recenti fossione terram fumare calentem atque etiam ex puteis iugibus aquam calidam trahi . . .' nec non cum Plin. NH II 239: 'Praeterea cum sit huius unius elementi ratio fecunda seque ipsa pariat et minimis crescat scintillis, quid fore putandum est in tot rogis [1]) terrae? quae est illa natura, quae voracitatem

[1]) vide infra.

in toto mundo avidissimam sine damno sui pascit? Addantur his sidera innumera ingensque sol, addantur humani ignes et lapidum quoque insiti naturae attrituque inter se ligni, iam nubium et origines fulminum.' Paulo ante (§ 236 sq.) Plinius ignium miracula (§ 236 Aetnam) tractaverat, quae poeta v. 854 significavit.[1]) Confer etiam [Arist.] *περὶ κόσμου* p. 395 b 18: *Ἐμπεριέχει δὲ καὶ ἡ γῆ πολλὰς ἐν αὐτῇ . . . πνεύματος καὶ πυρὸς πηγάς . τούτων δὲ αἱ μὲν ὑπὸ γῆν εἰσιν ἀόρατοι, πολλαὶ δὲ ἀναπνοὰς ἔχουσι καὶ ἀναφυσήσεις, ὥσπερ Λιπάρα τε καὶ Αἴτνη καὶ τὰ ἐν Αἰόλου νήσοις . ἔνιαι δὲ ὑπὸ γῆν οὖσαι πλησίον πηγαίων ὑδάτων θερμαίνουσι ταῦτα* . . . . Praeterea iam versu 857 cogimur totum locum Posidonio vindicare. Nam illum silvae incendium descripsisse docent fragm. 48 Muell. (FHGr. III p. 272), Sen. epp. 90, 12 (secundum Posidonii protrepticum),[2]) Athen. VI p. 233 D, Vitr. II 1, 1 (secundum Posidonii protrepticum),[2]) Aetna v. 360. Item Lucret. I 897, V 1096, VI 150 ex Posidonio manasse putem (cf. Knaack 'Studien zu Hygin' in Herm. vol. XVI p. 593 n. 2).[3])

Item Malchinus intermisit, alium locum libri secundi Posidonii libris meteorologicis vindicare. v. 96 enim poeta lunam a sole lucem mutuantem facit. Quod cum Posidonii doctrina consentire multis locis confirmatur velut Diog. Laert. VII 145. Cleomed. p. 156, 10. 200. Gemin. p. 124, 3. 15. 126, 4. 128, 5. Achill. p. 43. 49. Schol. Arat. p. 428, 9. Plin. II § 12. 13. Sen. ad Marc. 18, 2. Firm. Mat. V praef. (cf. Boll. l. l. 146. 181). Macrob. in Somn. Scip. I 15, 11. Mart. Cap. VIII 862. De aliis lunae rationibus infra fusius disputabimus, ubi de Stoicorum consensu rerum dicendum erit.

Haec fere sunt, quae Manilius Posidonii doctrinae in epitoma meteorologica prolatae debeat.[4]) Nam quod Malchinus quarti libri descriptionem illam geographicam (vv. 595 sq.) eidem libello vindicare voluit (p. 29), iam Bollius recte intellexit Malchinum valde erravisse (l. l. p. 231 n. 1). Quod priusquam accuratius inquisiverimus, nostrum erit officio a Malchino neglecto

[1]) Alio loco probaturus sum Plin. § 236 sq. in Posidonium redire.

[2]) Vide spec. II.

[3]) Etsi maxima ex parte auctores modo allati e protreptico sua sumpsisse videntur, tamen fieri potuit, ut Posidonius talia in libris meteorologicis proferret, ubi de cometis, fulminibus, arcu, areis, virgis, terrae motibus disseruit commentatiuncula de ignis vi praemissa. Manilius igitur illam interclusionem quoque (v. 852—858) ex epitoma meteorologica hausisse est putandus.

[4]) De vv. IV 591 sq., ubi venti tractantur, vide Malch. p. 32. De anni temporum exordiis cf. Ungerum in annal. philol. vol. CXLI p. 394. 502.

satisfacere. Magnopere enim miror, qui vir ille doctus libri *περὶ κόσμου* p. 393 a 9 — 394 a 6 afferre potuerit, ut Posidonium Manilianae commentationis IV 595 sq. fontem esse probaret, quamquam Muellenhoffius ('Deutsche Altertumskunde' I [1870] p. 318) illum Aristotelis personati locum Erastostheni attribuit. Convertamus ergo nos ad Muellenhoffium refutandum. Atque primum mirum esse videtur, quod auctor anonymus hoc loco a Posidonio, cui pleraque debet, aberrasse putatur. Accedit, quod omnia, quae Muellenhoffius ad opinionem suam fulciendam proponit, eundem in modum ad Posidonium quadrant. Terram Posidonius quoque insulam esse docuerat; idem quattuor oceani sinus distinxerat (cf. Goethe 'De fontibus Dionysii Periegetae' Gött. 1875 p. 14); ad quem Plinium (III § 5) et Melam (I 3) per Varronis librum 'de ora maritima' redire arbitror.[1]) Porro iidem terrae longitudinis et latitudinis numeri a Posidonio statuti sunt cf. Strab. II p. 102: *ὑπονοεῖ δὲ (ὁ Ποσειδώνιος) τὸ τῆς οἰκουμένης μῆκος ἑπτά που μυριάδων σταδίων ὑπάρχον . . .*' et XI p. 519: *πάλιν δὲ τοῦ πλάτους τοῦ μεγίστου τῆς οἰκουμένης ὄντος περὶ τρισμυρίους σταδίους χλαμυδοειδοῦς οὔσης τὸ διάστημα τοῦτο ἐγγὺς ἂν εἴη τοῦ μεσημβρινοῦ . . . εἴπερ ἐστὶ τὸ μῆκος τῆς οἰκουμένης ἑπτὰ μυριάδες.* Cuius loci ut Posidonium parentem esse ponam, verbis, quae antecedunt, permoveor: *εἴρηται γὰρ ὅτι περὶ τετρακισμυρίους σταδίους ἐστὶ τὸ ἀπὸ τοῦ Ἰσσικοῦ κόλπου μέχρι τῆς ἑῴας θαλάσσης τῆς κατὰ Ἰνδούς, ἐπὶ δὲ Ἰσσὸν ἀπὸ τῶν ἑσπερίων ἄκρων τῶν κατὰ στήλας ἄλλοι τρισμύριοι.* Nam Posidonium meridianum ab Iberia ad Indiam ductum Issico sinu in partes duas dividi finxisse sagacissime Bollius confirmavit (cf. l. l. p. 210). Praeterea iam illud '*χλαμυδοειδοῦς οὔσης*' Posidonium in memoriam revocat (vide Boll. p. 212. Zimmermann. in Herm. vol. XXIII p. 129).

De Galatico sinu Muellenhoffium (p. 320) in errorem incidisse Bergerus mihi persuasit ('Die Fragm. d. Eratosth.' p. 214 n.). Quod autem ad nostram de Posidonio fonte opinionem stabiliendam summi momenti est, auctor anonymus inter insulas Thulen non enumeravit. Muellenhoffius quidem (ibid. p. 359. 400) Posidonium Pytheae confisum esse voluit; aliter iudicavit Bessellius ('Über Pytheas von Massilien' Gött. 1858 p. 252) Apameensem virum de Pytheae nuntiis dubitasse ratus, quia Strabo tantum Polybii sententiam tradidisset, de Posidonii vero tacuisset. Cuius opinionis nuper Zimmermannus (l. l. p. 130) gravi argumento nisus praeco exstitit (vide etiam Susemihl. l. l. II p. 137 n. 188).

[1]) Detlefsen 'Über Varros Schrift de ora m.' in Herm. vol. XXI p. 262 sq. Eratosthenem fontem Varronis statuit. At pro ratione, quae inter Posidonium et Varronem intercedit, de philosopho illo cogitare malim.

Cleomedis autem et Gemini effata iudicio nostro minime adversantur; nam Cleomedes tantummodo dubitanter rem commemorat (p. 68, 19): *περὶ δὲ τὴν Θούλην καλουμένην νῆσον, ἐν ᾗ γεγονέναι φασὶ Πυθέαν τὸν Μασσαλιώτην φιλόσοφον, ὅλον τὸν θερινὸν ὑπὲρ γῆς εἶναι λόγος... Παρὰ τούτοις, ὁπότ᾽ ἐν καρκίνῳ ὁ ἥλιος ᾖ, μηνιαία γενήσεται ἡ ἡμέρα* ... Ista et quae sequuntur tempora futura respicienti mihi patet Posidonium ibi de Thule rationes, quae ex coniectura pendebant, protulisse ut multa et alia (vide Berger in 'Ber. d. K. Sächs. Ges. d. W.' 1897 p. 74). Quae autem Geminus de Pythea Thuleque narrat, ea ex Cratetea, quae sequitur, argumentatione orta sunt (cf. Bessell. p. 33 sq.).[1]) Posidonius igitur etsi Pytheam commemoravit, tamen eius nuntiis de Thule fidem non habuisse putandus est.

Quoniam non esse vidimus, cur Posidonio hanc libri *περὶ κόσμου* partem abiudicemus, transeamus ad librum ipsum definiendum, unde Manilius et anonymus auctor descriptiones geographicas prompserint. Iam Bollius (l. l. p. 230) satius duxit de libro illo de oceano cogitare, quem Plinius (ind. V. l.) *περίπλουν* aut *περιήγησιν* dixit. Quod iudicium Strabonis auctoritate confirmari potest; nam II p. 121 sq. idem argumentum ille atque Manilius tractavit, quod, si modo Posidonii auctoritatem ibi secutus est, non nisi ex scriptura de oceano sumere potuit (cf. Scheppig 'De Posidonio Apameensi rer. gent. terr. scriptore' Hal. 1869 p. 19. Schühlein 'Zu Posid. Rhodius' Freising 1891 p. 24[2]). [Oder l. l. p. 336 n. 143]). Illis locis vero Strabonem omnino Posidonio usum esse his rationibus evincitur. p. 118. terrae chlamydis forma attribuitur, quod Posidonius voluit (cf. Boll. l. l. p. 212. Zimmerm. l. l. p. 129). Deinde ibid. Issico sinu meridianum ab occidente ad orientem ductum dividi videmus ut p. 105 (vide Boll. l. l. p. 210). p. 119 extrem. tandem Posidonius ipse citatur Strabonis more, qui aliorum disputationes sic proferre solebat, ut loco exscripto extremo auctoris nomen poneret (Zimmerm. l. l. p. 112). Imprimis p. 121 initio § 17 Strabonis fons denudatur apertissime, cum verbis tum argumento. Nonne illud '*πλεῖστον δὲ ἡ θάλαττα γεωγραφεῖ καὶ σχηματίζει τὴν γῆν*' rhetorice dictum praeclarissime quadrat ad Posidonii orationem, qui *ταῖς ὑπερβολαῖς ἐνθουσιᾷ*? (cf. Martinii 'Luc. Posid.' I p. 156. Zimmermann. p. 105). Non philosophus Apameensis illo libro mutationes continentium et aqua et igni factas fusius inquisivit?

[1]) Ceterum cogita illud '*δοκεῖ*'!

[2]) Qui tamen longius progressi sunt, cum contenderent Strabonem omnia Posidoniana e libro de oceano, nihil ex historiis hausisse.

(cf. Berger 'Gesch. d. w. E.' IV 64 sq. 'Ber. d. K. S. Ges. d. W.' 1897 p. 65. 1898 p. 107 sq. Dubois l. l. p. 324 sq. Schmekel. l. l. p. 15 n. 8. [Oder l. l. p. 334 sq.]).

Quoniam vel ea, quae apud Strabonem antecedunt, ad Posidonium cadere cognovimus, a primo opinari licet descriptionem geographicam, quae sequitur, eidem auctori Strabonem debere. Et nimirum adeo Strabo, Manilius, liber *περὶ κόσμου* inter se congruunt, ut fieri non possit, quin Posidonium communem fontem sumamus. Iam vero utrumque auctorem, et Manilium et Strabonem, conferamus.[1])

Strab. II p. 121:

Λέγομεν δ᾽ ἀναλαβόντες ἀπὸ τῆς πρώτης ὑποτυπώσεως, ὅτι ἡ καθ᾽ ἡμᾶς οἰκουμένη γῆ περίρυτος οὖσα δέχεται κόλπους εἰς ἑαυτὴν ἀπὸ τῆς ἔξω θαλάττης κατὰ τὸν ὠκεανὸν πολλοὺς, μεγίστους δὲ τέτταρας· ὧν ὁ μὲν βόρειος Κασπία καλεῖται θάλαττα .... ὁ δὲ Περσικὸς καὶ Ἀράβιος ἀπὸ τῆς νοτίας ἀναχέονται θαλάττης .... τὸν δὲ τέταρτον ... ἡ ἐντὸς καὶ καθ᾽ ἡμᾶς λεγομένη θάλαττα ἀπεργάζεται ...

p. 122: *Εἴρηται δὲ ὅτι ἀρχὴ τοῦδε τοῦ κόλπου ἐστὶν ὁ κατὰ τὰς Στήλας πορθμός .... ὁρίζεται δ᾽ ἐκ μὲν τοῦ δεξιοῦ*

Manil. IV 595 sq.:

Ipsa natat tellus pelagi lustrata corona
Cingentis medium liquidis amplexibus orbem,
Inque sinus pontum recipit ...
642: Nec tantum ex una pontus sibi parte reclusit
Faucibus abreptis orbem ...
646: Namque inter borean ortumque aestato nitentem
In longum angusto penetrabilis aequore fluctus
Pervenit et patulis tum demum funditur arvis
Caspiaque Euxini similis facit aequora ponti.
Altera sub medium solem duo bella per undas
Intulit oceanus terris. Nam Persica fluctus
Arva tenet, titulum pelagi praedatus ab isdem,
Quae rigat ipse, locis ...
Nec procul in molles Arabas ...
656: Leniter adfundit gemmantia litora pontus
Et terrae mare nomen habet media illa duobus.
628: Haec medium terris circumdat linea pontum
Atque his undarum tractum constringit arenis.

597: .... pontum recipit, qui vespero ab astro
Admissus dextra Numidas Libyamque calentem
Alluit et magnae quondam Carthaginis arces
Litoraque in Syrtis revocans sinuata vadosas
Rursusque ad Nilum derectis fluctibus exit.

[1]) Auctoris anonymi verba afferre supersedeo; quode cf. Malch. p. 29.

πλευροῦ τῇ Λιβυκῇ παραλίᾳ μέχρι Καρχηδόνος, ἐκ δὲ θατέρου τῇ τε Ἰβηρικῇ καὶ τῇ Κελτικῇ . . . καὶ μετὰ ταῦτα τῇ Λιγυστικῇ . . . μέχρι τοῦ Σικελικοῦ πορθμοῦ . . .

Laeva freti caedunt Hispanas aequore[1]) gentis
Teque in vicinis haerentem, Gallia, terris
Italiaeque urbes dextram sinuantis in undam
Usque canes ad, Scylla, tuos avidamque Charybdim.

p. 123: τὸ δὲ Σικελικὸν πέλαγος πρὸ τῆς Σικελίας ἐστὶ καὶ τῆς Ἰταλίας ἐπὶ τὸ πρὸς ἕω μέρος καὶ ἔτι τοῦ μεταξὺ πόρου τῆς τε Ῥηγίνης . . . καὶ τῆς Μεσσηνίας . . .

. . . αὔξεται δὲ ἐπὶ μὲν τὸ πρὸς ἕω μέρος . . . καὶ τὴν Πελοπόννησον δὲ περικλύζει τὴν πλείστην καὶ πληροῖ τὸν Κορινθιακὸν καλούμενον κόλπον · πρὸς ἄρκτους δὲ ἐπὶ . . . τὸ στόμα τοῦ Ἰονίου κόλπου καὶ τῆς Ἠπείρου τὰ νότια μέρη μέχρι τοῦ Ἀμβρακικοῦ κόλπου . . . ὁ δὲ Ἰόνιος κόλπος μέρος ἐστὶ τοῦ νῦν Ἀδρίου λεγομένου · τούτου δὲ τὴν μὲν ἐν δεξιᾷ πλευρὰν ἡ Ἰλλυρὶς ποιεῖ, τὴν δὲ εὐώνυμον ἡ Ἰταλία.

Hac ubi se primum porta mare fudit [aperta],[2])
Enatat Ionio laxasque vagatur in undas.
Et prius in laevam se effundens circuit omnem
Italiam atque Hadriam comitatur nomine pontus[3])
Eridanique bibit fluctus: secat aequore vallum[2])
Illyricum Epirumque lavat claramque Corinthum
Et Peloponnesi patulas circumvolat oras;
Rursus et in laevum refluit vastoque recessu
Thessaliae fines et Achaica praeterit arva.

p. 124: τὸ δὲ συνεχὲς τὸ Αἰγαῖόν ἐστιν ἤδη σὺν . . . τῷ Ἑλλησπόντῳ καὶ τὸ Ἰκάριον . .

619: Inde ubi in angustas iterum se navita fauces
Hellespontiacis revocatus fluctibus effert,
Icarium Aegaeumque secat laevaque nitentis
Miratur populos Asiae . . .

[1]) Sic codex Gemblacensis recte. cf. v. 610.
[2]) Sic Ellis, Noctes Manilianae Oxon. 1891 p. 136 sq.
[3]) Corr. Bechert.

μέχρι . . . τῶν πρώτων μερῶν τῆς Ἀσίας . . .

. . . τὸ Αἰγαῖον καὶ ὁ Ἑλλήσποντος ἐκδίδωσι πρὸς ἄρκτον εἰς ἄλλο πέλαγος, ὃ καλοῦσι Προποντίδα · κἀκεῖνο εἰς ἄλλο, τὸν Εὔξεινον προσαγορευόμενον πόντον . . . p. 125: Ὑπέρκειται δὲ τοῦ ἑωθινοῦ κόλπου πρὸς ἄρκτον ἡ Μαιῶτις λίμνη . . .

615: Hic pontus iuvenisque fretum mersaeque puellae
Truditur invitum, faucesque Propontidos apto
Euxino iungit ponto, Maeotis et undis[1]),
Quae tergo coniuncta manet pontemque ministrat.[2])

. . . Τοιαύτη μὲν ἡ πρὸς ἄρκτον τοῦ Αἰγαίου πελάγους ἀνάχυσις καὶ τοσαύτη, πάλιν δ' ἀπὸ τῆς Ῥοδίας ἡ τὸ Αἰγύπτιον πέλαγος ποιοῦσα καὶ τὸ Παμφύλιον καὶ τὸ Ἰσσικὸν ἐπὶ μὲν τὴν ἕω καὶ τῆς Κιλικίας . . .

622: Miratur populos Asiae totidemque tropaea,
Quot loca et innumeras gentes Taurumque minantem
Fluctibus et Cilicum populos Syriamque perustam
Ingentique sinu fugientis aequora terras,
Donec in Aegyptum redeunt curvata per undas
Litora Niliacis iterum morientia ripis.

Deinde Manilius vv. 630 sq. insulas Adriatici maris enumerat, quas Strabo marium descriptioni inseruerat.

630: Mille iacent mediae diffusa per aequora terrae.
Sardiniam in Libyco signant vestigia plantae,
Trinacria Italia tantum praecisa recessit.
Adversa Euboicos miratur Graecia montes
Et genetrix Crete civem sortita tonantem.
Aegypti at Cypros pulsatur fluctibus amnis . . .
Totque minora solo tamen emergentia ponto
Litora et aequalis Cyclades, Delonque Rhodonque
Aulidaque et Tenedon, vicinaque Corsica terris[3])

p. 122: νῆσοι δ' εἰσὶν — συχναί, μέγισται δὲ Σαρδὼ καὶ Κύρνος μετά γε τὴν Σικελίαν . . . ἐπὶ θάτερα δὲ τῆς Λιγυστικῆς οὐ πολλαί, ὧν εἰσιν αἵ τε Γυμνήσιαι καὶ Ἔβουσος. p. 124: τὸ Ἰκάριον . . . μέχρι τῆς Ῥόδου καὶ

[1]) Bechertus in textum iure recepit, quae codices optimi exhibent.
[2]) His verbis poeta isthmum illum significare videtur, de quo Posidonius apud Strab. XI p. 491 ista rettulit: *Ποσειδώνιος δὲ χιλίων καὶ πεντακοσίων εἰρηκε τὸν Ἰσθμόν . . ., δοκῶ δέ, φησί, μὴ πολὺ διαφέρειν μηδὲ τὸν ἀπὸ τῆς Μαιώτιδος εἰς τὸν Ὠκεανόν.*
[3]) Becherti liberalitate vv. 635 sq. correctos ponere potui. Post v. 635 lacunam statuit.

Litora Sardiniae primumque intrantis in orbem
Oceani victricem Ebusum et Balearica rura.

Κρήτης καὶ Κύπρου . . . αἵ τε Κυκλάδες νῆσοι εἰσὶ καὶ αἱ Σποράδες . . . λέγω δὲ . . . Λέσβον καὶ Τένεδον· ὡς δ' αὕτως αἱ προκείμεναι τῆς Ἑλλάδος . . . Εὔβοιά τε καὶ Σκῦρος.

Deinde apud Manilium vv. 658 sq. tres continentes describuntur, quo confer Strab. p. 122: *ἡ δὲ περικλείουσα αὐτοὺς γῆ τριχῇ νενέμηται.* De Africa ex locis Strabonianis modo allatis (p. 130) nihil lucramur; potius comparanda est XVII p. 826, unde Manilium in Libya describenda Posidonium adhibuisse videmus.

Manil. IV:

662: Huic (Libyae) varias pestes diversaque monstra ferarum
Concessit bellis natura infesta futuris,
Horrendos angues habitataque membra veneno,
Et mortis pastu viventia crimina terrae
In poenas fecunda suas parit horrida tellus[1])
Et vastos elephantas habet saevosque leones
Et portentosos cercopum ludit in ortus.

Strabo XVII p. 826:

. . . καὶ δρακόντων δὲ καὶ ἐλεφάντων καὶ δορκάδων καὶ τῶν παραπλησίων ζῴων, λεόντων τε καὶ παρδάλεων παντοδαπὴ τροφὸς ἡ χώρα ἐστί. φέρει δὲ καὶ γαλᾶς . . . πιθήκων τε πάμπολυ πλῆθος, περὶ ὧν καὶ Ποσειδώνιος εἴρηκε, ὅτι . . . ἴδοι τῶν θηρίων μεστόν τινα τούτων ἁλιτενῆ δρυμόν . . . γελᾶν οὖν ὁρῶν βαρυμάστους, ἐνίους δὲ φαλακρούς, τοὺς δὲ κηλήτας καὶ ἄλλα τοιαῦτα ἐπιφαίνοντας σίνη.

Illi 'portentosi cercopum ortus' nihil aliud nisi simias significant; cf. Keller 'Tiere d. klass. Altertums' Innsbr. 1887 p. 19. Ceterum II p. 130 Strabo breviter Manilii versuum argumentum complectitur verbis: *πᾶσα δ' ἡ ἀπὸ Καρχηδόνος μέχρι Στηλῶν ἐστιν εὐδαίμων· θηριοτρόφος δὲ . . .* In Asiae descriptione praeter

[1]) Hunc versum Lucanus imitatus est (IX 619): Cur Libycus tantis exundet pestibus aer Fertilis in mortes . . .

verba (674): 'India notitia maior . . .', quae iam Bollius ad Posidonium revocavit (p. 230) nobis Apameensem philosophum in memoriam vocat v. 677 'Ad Tanaim Scythicis dirimentem fluctibus orbes . . .' Quocum conferas Strab. II p. 126: *. . . ἐν δεξιᾷ μέν ἐστιν ἡ Λιβύη μέχρι τῆς τοῦ Νείλου ῥύσεως, ἐν ἀριστερᾷ δὲ ἀντίπορθμος ἡ Εὐρώπη μέχρι τοῦ Τανάϊδος· τελευτῶσι δ' ἀμφότεραι περὶ τὴν Ἀσίαν* (cf. Man. v. 670). Similiter Strab. p. 108. [Arist.] *π. κόσμου* p. 393 b 30. Dionys. Perieg. 892 (vide Goethe l. l. p. 15). Postremo, quae Manilius de Europa profert (v. 686 'Maxima terra viris et fecundissima doctis urbibus'), recurrunt apud Strab. II p. 122: *πολὺ δ' ἐστὶ καὶ τὸ γνώριμον καὶ τὸ εὔκρατον καὶ τὸ πόλεσι καὶ ἔθνεσιν εὐνομουμένοις συνοικούμενον μᾶλλον ἐνταῦθα ἢ ἐκεῖ* et p. 126: *ἀρκτέον δ' ἀπὸ τῆς Εὐρώπης ὅτι πολυσχήμων τε καὶ πρὸς ἀρετὴν ἀνδρῶν εὐφυεστάτη καὶ πολιτειῶν, καὶ ταῖς ἄλλαις πλεῖστον μεταδεδωκυῖα τῶν οἰκείων ἀγαθῶν· ἐπειδὴ σύμπασα οἰκήσιμός ἐστι . . .* Totius loci ratione ethnologica, qua nisus Strabo indolem incolarum e regione et caelo pendere vult, Posidonium fontem esse demonstratur (cf. Berger 'Gesch. d. w. Erdk. d. Gr.' IV 57).[1])

Nec non nos ad rectum exitum pervenisse singulis Manilii locis evincitur. Velut v. 631 poeta nomen Ichnussae significare vult, quod Timaeus Sardiniae imposuit; nam Plinium (NH III § 85) auctorum nomina confudisse Muellenhoffius (l. l. I p. 456) mihi persuasit. Neque tamen cum viro illo doctissimo Manilium e Sallustio illud hausisse putem, immo vero de Posidonio cogitare malim, quem Timaeo multa debuisse nemo ignorat (cf. Geffcken 'Timaios' Geographie d. Westens' 1892 p. 183).

Item versu sequenti 'Trinacria Italia tantum praecisa recessit' poeta Posidonianam doctrinam recepit. Quod Strabonis verbis (I p. 60) evincitur: *οἱ δὲ καὶ τὴν Λέσβον τῆς Ἴδης ἀπερρωγέναι πεπιστεύκασιν . . . τὴν Σικελίαν δὲ τῆς Ῥηγίνης* (cf. Rusch l. l. p. 17. Sudhaus l. l. p. 62). De eadem re Posidonius alteram rationem apud Strab. I p. 54 protulisse videtur[2]). Nam praeterquam quod p. 53 extr. Posidonius citatur, p. 54 Posidonius fons sumendus est, quod apud Strab. II p. 102 similia professus est.

Quod Manilius vv. 630 sq. Siciliam, Sardiniam aliasque insulas non secundum Posidonii rationem enumeravit (cf. [Aristot.] *περὶ κόσμου* p. 393 a 12. Strab. II p. 123), poetica licentia usus est.

[1]) Europae singulas terras, quas Manilius vv. 687 sq. enumerat, Strabo reverso ordine nominat: Hispaniam, Galliam, Italiam, Germaniam, Thraciam, Illyricum, Graeciam.

[2]) *Καὶ τὴν Σικελίαν οὐδέν τι μᾶλλον ἀπορρῶγα τῆς Ἰταλίας εἰκάζοι τις ἂν ἢ ἀναβληθεῖσαν ὑπὸ τοῦ Αἰτναίου πυρὸς ἐκ βυθοῦ συμμεῖναι· ὡσαύτως δὲ καὶ τὰς Λιπαραίων νήσους καὶ Πιθηκούσσας.*

Ad v. 693: 'Gallia per census, Hispania maxima belli' (cf. 793: '. . . et quod fert Gallia dives') comparanda est Posidonii ecloga apud Strab. IV p. 188 servata: . . . *ἡ χώρα πολύχρυσος οὖσα καὶ δεισιδαιμόνων καὶ οὐ πολυτελῶν τοῖς βίοις πολλαχοῦ (τῆς Κελτικῆς) ἔσχε θησαυρούς* . . . De verbis 'Hispania maxima belli' afferre licet Strabon. III p. 152: *ἡ Λυσιτανία ἔστι μέγιστον τῶν Ἰβηρικῶν ἐθνῶν καὶ πλείστοις χρόνοις ὑπὸ Ῥωμαίων πολεμηθέν* . . quod auctor e Posidonio sumpsit (vide Ruge 'Quaest. Strabon.' Lips. 1888 p. 27. Muellenhoff. l. l. II p. 310). Quod ad versus sequentes: 'Italia in summa, quam rerum maxima Roma Imposuit caeloque adiungitur ipsa' attinet, poeta similia apud Posidonium reperire potuit, ut testatur Strab. II p. 127: *Ῥωμαῖοί τε πολλὰ ἔθνη παραλαβόντες καὶ τὴν φύσιν ἀνήμερα διὰ τοὺς τόπους ἢ τραχεῖς ὄντας ἢ ἀλιμένους ἢ ψυχροὺς ἢ ἀπ' ἄλλης αἰτίας δυσοικήτους πολλοῖς τούς τε ἀνεπιπλέκτους ἀλλήλοις ἐπέπλεξαν καὶ τοὺς ἀγριωτέρους πολιτικῶς ζῆν ἐδίδαξαν* (cf. VI p. 286 extr.). Huc faciunt Plinii de Italia verba (III § 39): '. . . dicatur terra omnium terrarum alumna eadem et parens, numine deum eclecta, quae caelum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia ritusque molliret et tot populorum discordes ferasque linguas sermonis commercio contraheret ad colloquia et humanitatem homini daret'.

Ad vv. 715 sq. 'Flava per ingentes surgit Germania partus, Gallia vicino minus est infecta rubore' adeas Strab. VII p. 290: . . . *Γερμανοὶ . . . μικρὸν ἐξαλλάττοντες τοῦ Κελτικοῦ φύλου τῷ τε πλεονασμῷ τῆς ἀγριότητος καὶ τοῦ μεγέθους καὶ τῆς ξανθότητος.* Quem locum e Posidonio pendere iam Muellenhoffius (l.l. II p. 188 n.) et Wilkensius ('Quaestiones de Strab. aliorumque rer. Gall. fontt.' Marp. 1886 p. 55. 58) probaverunt. [cf. etiam Oder l. l. p. 328 n. 129.]

vv. 728: 'Phoebus arenosis Afrorum pulvere terris Exsiccat populos' explicantur verbis Strabonis (II p. 130): *οἰκεῖται δὲ μετρίως καὶ ἡ παρωκεανῖτις, ἡ δὲ μέση φαύλως ἡ τὸ σίλφιον φέρουσα, ἔρημος ἡ πλείστη καὶ τραχεῖα καὶ ἀμμώδης,* quorum verborum fontem Posidonium esse iam Zimmermannus (l.l. p. 118) perspexit. Praeterea adeas Strab. XVII p. 830: *Ποσειδώνιος δ' οὐκ οἶδ' εἰ ἀληθεύει φήσας ὀλίγοις καὶ μικροῖς διαρρεῖσθαι ποταμοῖς τὴν Λιβύην.* cf. etiam Strab. II p. 95.

vv. 755: 'Euxinus Scythicos pontus sinuatus in arcus' dubito an ad Posidonium cadant. Quam comparationem Gardhausenus ('Die geograph. Quellen Ammians' p. 541. 545), Mommsenus (in Herm. vol. XXIII p. 634) Goetheus (l. l. p. 16) Eratostheni vindicaverunt.[1]) Tamen Posidonium quoque eam accepisse forsitan ex Strab. II p. 124 conici licet: *εἰκάζουσι δέ τινες τὸ σχῆμα*

[1]) Bergerus rem in medio reliquit (Fragm. d. Eratosth. p. 332).

τῆς περιμέτρου ταύτης ἐντεταμένῳ Σκυθικῷ τόξῳ.[1]) Nam talia in Posidonii rationem orationemque quadrare scimus; similiter Hispaniam cum pelle taurina comparavit, quod Strab. II p. 127 testatur. Quem locum iam Rugius ('Quaest. Strab.' p. 28) Posidonio assignavit.[2])

Quoniam nostro iure Manilii, Strabonis, libri anonymi *περὶ κόσμου* descriptiones geographicas supra allatas ad communem fontem, Posidonii librum de oceano, revocavimus, liceat mihi pauca de hac geographi Syrii scriptura proferre. Credo enim locum Aristotelis personati nobis temporis, quo ille librum composuerit, definiendi ansam dare (p. 393 b 8): *εἶτα κατ' ὀλίγον ὑπὲρ τοὺς Σκύθας τε καὶ Κελτικὴν σφίγγει τὴν οἰκουμένην.* Quibus ex verbis sequitur, ut Posidonius librum suum ante annum 80 conscripserit; nam Muellenhoffius nomen Germanorum demum circiter a. 80 Romae usu perceptum esse probavit (l. l. II p. 189).

Dubius haereo, istine libro an Posidonii meteorologicae epitomae alium Manilii locum, quem Malchinus omisit, vindicem (III 272): '(oras) Quas rigat aestivis gravidus torrentibus amnis Nilus'. Ubi poeta 'torrentibus aestivis' nihil aliud nisi imbrium torrentes aut rivulos ex imbribus ortos significat (cf. Suet. de nat. rer. p. 244, 6 R: 'torrens fluvius qui pluvia crescit'). Posidonius autem Nili inundationes imbribus aestivis exsistere voluit; cf. Cleomed. p. 58, 21. Strab. II 98. XV 790. Sen. NQ IV 1 et apud Lyd. de mens. IV p. 144 W. Lucan. X 258 (secundum Senecam; vide Diels 'Seneca und Lucan' in 'Abhandl. d. Berl. Akad. der Wiss.' 1885 III p. 16). Dox. gr. p. 226. Quae etsi in libro de oceano fusius tractasse Posidonius putandus est, tamen in libro meteorologico tangere potuit.

Quod autem ad epitomae meteorologicae dispositionem attinet, summatim Malchinus (pp. 33 sq.) quaestionem recte tractavit. At

[1]) Haud secus ex Posidonio sua hausisse Plinium (IV 76. 86), Melam (I 19, 6), Dionys. Perieg. 156 arbitror.

[2]) De aliis locis certum quicquam eruere nequeo. Velut Asiae descriptionem vv. 671 sq. ad Posidonium revocare licet, cum eum talia protulisse de aliis terris sciamus. cf. fragm. 48 Muell., porro Strabon. II p. 99 (ubi Eudoxi periplum narrat): *πλεύσαντα δὴ μετὰ δώρων ἀντιφορτησάμενον ἀρώματα καὶ λίθους πολυτελεῖς* (sc. *παρὰ τῶν Ἰνδῶν*) nec non XVI p. 779: *εἰσὶ δὲ καὶ ἄλες εὐώδεις ἐν Ἄραψιν, ὥς φησι Ποσειδώνιος.* [Quid Posidonius de Arabiae odoribus gemmisque narraverit, comperimus ex Diod. II 48—53; cf. Oder l. l. p. 324 cum not. 124]. Dubito, sumpseritne poeta v. 674 '. . . Parthique vel alter Orbis . .' de suo an de Posidonio, cuius auctoritatem posteriores de Parthicis rebus secuti sunt (cf. Wachsmuth 'Einl. in d. Stud. d. alt. Geschichte' 1895 p. 649 n. 3). Similiter Strab. XI p. 515: *καὶ νῦν ἐπάρχουσι τοσαύτης γῆς* (sc. *οἱ Παρθυαῖοι*) *καὶ τοσούτων ἐθνῶν, ὥστε ἀντίπαλοι τοῖς Ῥωμαίοις τρόπον τινὰ γεγόνασι κατὰ μέγεθος τῆς ἀρχῆς* et Trog. ap. Iustin. XLI 1, 1: 'Parthi, penes quos velut divisione orbis cum Romanis facta nunc orientis imperium est'.

praeterquam quod nonnullas partes, quas ad librum de oceano pertinere vidimus, libro illi inseruit, multas res singulas in medio relinquendas puto. Quod hoc loco agitare alienum puto. Tantum illud postremo dicendum est Gemini cap. XVII, de quo quid iudicaret, Malchinus nescivit, non ad Posidonium redire, nedum ad libros meteorologicos pertineat (cf. Mart. 'Quaest. Pos.' p. 383).

Tantum de rebus meteorologicis ac geographicis, quas poeta secundum Posidonium tractavit. Iam vero transeamus ad res astrologicas.

Mundum fato regi Posidonius professus erat Diogen. Laert. VII 149, Cic. de fato 5, 7, August. de civ. dei V 2 testibus. Item Manilius saepius e. g. IV 14. 871. Praeter ceteros Stoicos (Panaetio excepto) philosophus Rhodius artes divinandi (Cic. de div. I 118 alibi. cf. Manil. II 135. IV 106. 911), praecipue autem astrologiam, istam Stoicorum arcem, via ac ratione contra Carneadem et Clitomachum acerrime defenderat (vide Boll. l. l. p. 234. 181 sq. Bouché-Leclercq l. l. p. 545). Qua in re eisdem fere argumentis, quibus Stoici priores, usus est; velut astra ad terrae atque hominum fata multum valere ex mundi concentu, quam *συμπάθειαν* vocant, ex microcosmo, ex animi humani divinitate, ex igni mundo perfuso, aliis rebus confirmavit. Quae cum poeta cum ratione theologica concinnaverit, infra suo loco singula tractabimus. Ut Posidonius Chaldaeos et Aegyptios inventores astrologiae iudicaverat (vide Achill. p. 28. Cic. de div. I 1. Plin. VII 56. Iustin. I 1, qui ibidem protrepticum adhibuit)[1]), sic Manilius I 40: 'Et natura dedit vires seque ipsa reclusit Regales animos primum dignata movere Proxima tangentis rerum fastigia caelo, Qui domuere feras gentes oriente sub ipso, Quas secat Euphrates, in quas et Nilus inundat'. Item Posidonius regibus piis principia artis astrologicae assignaverat cf. Ps.-Lucian. de astrol. 1: *καὶ ἡ μὲν σοφίη παλαιὴ . . . ἔστι ἔργον ἀρχαίων βασιλέων θεοφιλέων* cum Bollii nota p. 151. Potissimum autem Posidonius eo nos tenet, quod astrologicam ethnographiam, ut aiunt, ad refutandam Carneadis altercationem de populorum moribus diversis petitam finxit. Qua de quoniam Bollius Ptolemaei quadripartito allato lucidissime disseruit (cf. p. 190. 215. 230)[2]), mihi tantum liceat nonnullos locos, quos Bollius omisit, adicere. De illa Posidonii Hippocratis asseclae ratione Bollius congessit Cic. de div. II 96. Strab. II 98. 102. Cleom. p. 154. Galen. de plac.

[1]) De Posidonio investigatore *τῶν εὑρημάτων* vide Duemmleri 'Academica' 1889 p. 244. Wendling 'Zu Pos. u. Varro' in Herm. vol. XXVIII p. 341. Wachsmuth 'Zu Timagenes u. Trogus' in Rhen. Mus. vol. XLVI p. 476.

[2]) [cf. etiam Oder l. l. pp. 319 sq. Ad Manil. IV 731 sq. cf. pp. 322 sq.]

Hipp. et Plat. 441, 16 K. Plin. II 189. Vitr. VI 1, 4. Ptol. II 1 p. 55. Adde Cic. de div. I 79. de fato 7. de nat. deor. II § 42. Strab. II p. 127. cf. imprimis Strab. VI p. 286: *τρίτον δὲ τὸ πολλαῖς ὑποπεπτωκέναι διαφοραῖς ἀέρων τε καὶ κράσεων, παρ' ἃς καὶ ζῷα καὶ φυτὰ καὶ πάνθ' ἁπλῶς τὰ πρὸς τὸν βίον χρήσιμα πλείστην ἐξάλλαξιν ἔχει . . .* cum Cleom. p. 154, 25: *Πάρεστι γοῦν καταμανθάνειν τὴν διαφορὰν . . . καὶ ζῴων καὶ καρπῶν καὶ πάντων ἁπλῶς πάμπολυ ἐξηλλαγμένων καὶ τῶν κατὰ τὸν ἀέρα κράσεων καὶ διαφορῶν.* (cf. XVI p. 785.) Item praeclare inter se consentiunt Vitr. VIII 3, 13 cum Cleom. p. 154, 14. Nec non Livii verba ad Posidonium revocem (XXXVIII 17): 'In frugibus pecudibusque non tantum semina ad servandam indolem valent, quantum terrae proprietas caelique, sub quo aluntur, mutant'.

De singulis rebus astrologicis Posidonianae disciplinae pauca vestigia investigare possumus. Velut sphaeram signorum poeta ab ariete incipit, quod Posidonius voluit (cf. Bouché-Leclercq p. 129). Aliam aegyptiacam rationem, quae a Sirio oriente profecta est, Manilius I 401 commemorat (vide Bouché-Leclercq p. 367 n. 2).[1]) Ceterum singulas rationes Manilii non ad Posidonium ipsum redire puto, qui non nisi fundamenta disciplinae iecit a duodecim ventis exorsus, sed poetam enchiridion artis astrologicae, quae illa aetate florebat, adhibuisse. cf. etiam Riessium in 'Pauly-Wissowa, Realencycl.' t. II p. 1819.

His rebus peractis nos convertamus ad Manilii partes philosophas. Qua in re pleraque Posidonio cum Stoicis ceteris communia erant; quoniam vero res meteorologicas astrologicasque ad ultimum Graecorum hominem doctum, qui omnis generis doctrinam comprehendit, redire intelleximus, omnia, quae ad philosophiam pertinent, poetam ex eodem prompsisse perspicuum est. Atqui aliis locis allatis hoc confirmari potest.

Quod primum ad psychologiam attinet, Posidonius ut ceteri Stoici animam ex sanguine pendere putavit (cf. Stein 'Psychologie der Stoa' Berl. 1886 p. 106). Eandem sententiam Manilius exposuit IV 891: 'Sic esse in nobis terrenae corpora sortis Sanguineasque animas animo, qui cuncta gubernat'. Ibidem illam rationem recepit, qua nisus Posidonius duas animae partes, *τὸ λογικόν* et *τὸ ἄλογον*, statuerat. Qua de re vide spec. II, ubi de Posidonii protreptico copiosius disputaturus sum. Posidonius porro priorum Stoicorum opiniones amplexus *τὸ ἡγεμονικὸν* in corde vel pectore posuit (cf. Stein l. l. p. 187.

[1]) Malchinum Posidonium ab astris fata tantum significari, non effici finxisse ratum refellere supersedeo; cf. Boll. l. l. p. 221 n. 1.

Schmekel p. 259. Bonhoeffer 'Epiktet u. d. Stoa' 1890 p. 45). Non secus poeta IV 886: 'An dubium est habitare deum sub pectore nostro . . .?' et 929: 'Sic animi sedes tenui sub corde locata . . .' Quo illud referendum esse puto, quod Manilius saepius pro voce animi verbis cordis vel pectoris usus est ut I 28. 79. II 450. 898. IV 530 alibi. Humanum corpus, ut ceteri Stoici, Posidonius tanquam microcosmum universo mundo opposuit (cf. Diog. Laert. VII 138: *τὸν δὲ κόσμον διοικεῖσθαι κατὰ νοῦν, ὥς φησι . . . Ποσειδώνιος ἐν τῷ τρίτῳ περὶ θεῶν, εἰς ἅπαν αὐτοῦ μέρος διήκοντος τοῦ νοῦ, καθάπερ ἐφ' ἡμῶν τῆς ψυχῆς.* Stein l.l. p. 205. Wendland 'Philos Schrift über die Vorsehung' p. 14. Bouché-Leclercq p. 77 n. 1). Huc cadunt poetae vv. 888 sq. Paulo ante (v. 886) Manilius de animi immortalitate loquitur. Quam Posidonium ipsum defendisse Schmekelius l.l. p. 250 contra Zellerum et Hirzelium confirmavit.

Iam supra opinati sumus I 852 ad Stoicorum doctrinam redire, qui Deum igneum esse putabant ideoque totum mundum ignium plenum Plin. NH II 239 et Cic. de nat. deor. II §§ 23—25 collatis. Posidonium idem cogitasse cum multa alia tum Aetii Plac. phil. I 7, 19 testantur: *Ποσειδώνιος πνεῦμα νοερὸν καὶ πυρῶδες* . . . (Dox. gr. p. 302 b 22). Quid autem Manilius de deo naturaque senserit, apertissime ex libri II vv. 60 sq. comperimus. Atque primum deum 'infusum... caelo terrisque fretoque' poeta dixit (v. 61). Cuius sententiae auctor fuit Posidonius; cf. Comm. Bern. Luc. IX 578 p. 305, 23 ed. Us.: 'Ait enim Posidonius Stoicus: *θεός ἐστι πνεῦμα νοερὸν διῆκον δι' ἁπάσης οὐσίας*: 'deus est spiritus rationalis per omnem diffusus materiam' hoc est terram, aquam, aera, caelum'. Praeterea huc faciunt Diog. Laert. VII 138: *τὸν δὲ κόσμον διοικεῖσθαι κατὰ νοῦν . . ., ὥς φησι . . . Ποσειδώνιος ἐν τῷ τρίτῳ περὶ θεῶν, εἰς ἅπαν αὐτοῦ μέρος διήκοντος τοῦ νοῦ.* Cic. de nat. deor. II § 115. Verg. Aen. VI 726.[1]) Plin. II § 208. Plut. Plac. Phil. I 7, 33 (= Dox. gr. p. 306 a 5). [Aristot.] *περὶ κόσμου* p. 394 b 9.

Posidonius porro statuerat, *ὅτι δὲ καὶ ζῷον ὁ κόσμος* . . . sec. Diog. Laert. VII 142; [vide Oder l.l. p. 289 sq.][2]) Eadem sententia recurrit apud Manil. IV 65: . . corpusque animale figuret'. Secundum Posidonium deus est ratio sive spiritus sive prudentia, qua omnia reguntur. Adi Diog. Laert. VII 138: *τὸν δὲ κόσμον διοικεῖσθαι κατὰ νοῦν καὶ πρόνοιαν.* Cic. de nat. deor. II 19. 30.

[1]) cf. Schmekel. l.l. p. 451, 1. Agahdium in ann. philol. suppl. XXIV p. 111.

[2]) cf. etiam Ov. Met. XV 342: 'Nam sive est animal tellus'. Sen. NQ III 29, 2: 'sive animal est mundus' (v. Hirzel l.l. II p. 225).

73 sq. 97. Ista poeta noster saepius spiritu sacro inflatus professus est velut I 64. 211. 247. 491. II 63. 82. 705. 804 alibi.

II 64 Manilius unum deum sive mundum esse praedicat ut Posidonius apud Diog. Laert. VII 143: *ὅτι δὲ εἷς ἐστι (ὁ κόσμος) Ζήνων φησὶ καὶ . . . Ποσειδώνιος* . . . cf. 140. Unde Posidonius illum rerum consensum, quam *συμπάθειαν* vocant, repetivit; qua in re imprimis temporum vicissitudinibus et lunae temporibus argumentis usus est. Confer Diog. Laert. VII 140: *ἐν δὲ τῷ κόσμῳ μηδὲν εἶναι κενόν, ἀλλ' ἡνῶσθαι αὐτόν· τοῦτο γὰρ ἀναγκάζειν τὴν τῶν οὐρανίων πρὸς τὰ ἐπίγεια σύμπνοιαν καὶ συντονίαν.* Cleom. p. 8, 16.[1]) Cic. de nat. deor. III § 28: 'Itaque illa mihi placebat oratio de convenientia consensuque naturae, quam quasi cognatione continuata conspirare dicebas... negabas id accidere potuisse, nisi ea uno divino spiritu contineretur' (de orat. III 20. de div. II 142). Item Manilius IV 63: 'Totumque alterno consensu vivere mundum Et rationis agi motu, cum spiritus unus Per cunctas habitet partes atque irriget orbem . . . Quod nisi cognatis membris contexta maneret Machina et imposito pareret tota magistro . . . Non esset statio terris . . .' Quin etiam illud 'machina', quod II 807. III 55. IV 828 recurrit, e Posidonio fluxisse puto. Nam similia legimus apud Cic. de nat. deor. II 97: 'An cum machinatione quadam moveri aliquid videmus . . . non dubitamus, quin illa opera sint rationis; cum autem impetu caeli cum admirabili celeritate moveri vertique videamus constantissime conficientem vicissitudines anniversarias . . . dubitamus, quin ea . . . ratione fiant . . .?' Vitr. X 1, 4. Apul. de mundo 1 (p. 107, 12 Goldb.). 30 (p. 128, 15): 'Cum igitur rex omnium et pater . . . machinam omnem . . . legibus suis terminatam . . . ab uno principio agitari iubet . . .' Ad III 55: 'Staretque alterno religatus foedere mundus' praeclare quadrant Cic. de nat. deor. II 115: 'Maxime autem corpora inter se iuncta permanent cum quasi quodam vinculo circumdato colligantur' et Phil. de aet. mund. p. 24, 16 C: *δῆλον ὅτι καὶ ὁ κόσμος αἰωνίῳ συνεχόμενος καὶ διακρατούμενος δεσμῷ.*

Quod autem Manilius v. 87 libri II pergit: 'Nec nimis est quaerenda fides: sic temperat arva Caelum proxx. — ipse adeas quaeso locum, quem exscribere longum est — argumentationem suam e Posidonio poetam prompsisse patet ex Cic. de div. II 33: 'Ut enim iam sit aliqua in natura rerum contagio, quam esse concedo (multa enim Stoici colligunt: nam et musculorum iecuscula bruma dicuntur augeri . . . ostreisque et conchyliis omnibus contingere, ut cum luna pariter crescant pariterque decrescant

[1]) vide excursum.

arboresque ut hiemali tempore cum luna simul senescente . . . tempestive caedi putentur. Quid de fretis aut de maris aestibus plura dicam? quorum accessus et recessus lunae motu gubernantur. Sescenta licet eiusdem modi proferri, ut distantium rerum cognatio naturalis appareat . . .)'. cf. de nat. deor. II 19. Firm. Mat. I 5, 11. Kr. et Sk.[1]) cf. etiam IV praef. 5. Sext. Emp. adv. math. IX 79. Plin. II 221.[2]) Ceterum de ista lunae vi adeantur Cleom. p. 156, 13. 178, 1. 180, 14. Dox. gr. p. 383 b 8. libr. anonym. *περὶ κόσμου* p. 396 a 26. Hermipp. p. 48, 2. Sen. de benef. IV 23. NQ I 1, 4. III 28. de provid. I 1, 4.

Manilii versus 90 sq., qui de lunae temporibus sunt, clarissime explanantur Strab. III p. 173: *φησὶ δὲ (Ποσειδώνιος) τὴν τοῦ ὠκεανοῦ κίνησιν ὑπέχειν ἀστροειδῆ περίοδον, τὴν μὲν ἡμερήσιον ἀποδιδοῦσαν, τὴν δὲ μηνιαίαν, τὴν δὲ ἐνιαυσιαίαν συμπαθῶς τῇ σελήνῃ.*

Ad Manilii vv. 99 sq. apponam locum Porphyrii introduct. in Ptolemaei quadrip. (ed. Basil. 1559 p. 182)[3]): *τὰ δ' ἄλλα ζῷα ἐν χειμῶνι μὲν εἰς ἀλεεινὰς οἰκήσεις καὶ νηνεμίαν ἐχούσας παρασκευάζει (ἡ σελήνη) διατρίβειν, ἐν θέρει δὲ τὰς εὐπνουστέρας καὶ ἐνύδρους χώρας μετέρχεσθαι . . . μαρτυρεῖ δὲ τοῖς εἰρημένοις τὰ θαλάττια ζῷα, καρκῖνοι, ὀστρακοὶ καὶ ἐχῖνοι καὶ τὰ τούτοις ἐμφερῆ ὀστρακόδερμα διηλαδὴ συναυξόμενα τῇ σελήνῃ καὶ συμμειούμενα, πάλιν δὲ καὶ τὰ φυτὰ σὺν τοῖς καρποῖς . . . ταῖς γυναιξὶ γοῦν ἐν ταῖς ἀφέδροις καθάρσεις μηνιαίῳ χρόνῳ παραφυλάττει . . . καὶ οἱ ποταμοὶ δὲ καὶ αἱ πηγαὶ καὶ οἱ εὖριποι συναυξόμενοι ὄντως καὶ συγκενούμενοι . . . τῇ τῆς σελήνης αὔξει ἢ μειώσει συντρέφονται (συντρέπεται* edit.).

II 72 sq. nec non I 35. 182. 475. 524 deum esse Manilius siderum cum ex motibus aequis tum ex mundi totius pulchritudine conicit. Quod argumentum Posidonio tritissimum fuisse permulti loci docent. Velut adi Dox. gr. p. 293, 1. 295, 21. [Arist.] *π. κόσμου* p. 397 a 4 sq. 400 a 21 sq. Cleom. p. 2, 16. 28, 24. Hermipp. p. 24, 7. 69, 24. Cic. de nat. deor. II 15. 17. 19. 97. Tusc. Disp. I 62. Sen. epp. 90, 42. Firm. Mat. V praef. Qua in re Posidonius voce '*κόσμος*' lusisse colligi potest ex Diog.

[1]) Quae ibidem legimus ('stellarum ignes, qui globosae rotunditatis specie formati circulos suos orbesque celeri festinatione perficiunt') conferas cum Cic. Somn. Scip. 15: '(stellae) quae globosae et rotundae . . . circulos suos orbesque conficiunt celeritate mirabili'.

[2]) Imprimis Ciceronem et Plinium eodem fonte usos esse istis locis evincitur: cf. de nat. deor. II 33: '. . . et puleium aridum florescere brumali ipso die et inflatas rumpi vesiculas . . . ostreisque et conchyliis omnibus contingere, ut cum luna pariter crescant pariterque decrescant' et Plin. NH II 108: 'floret ipso brumali die suspensa in tectis arentis herba pulei, rumpuntur intentae spiritu membranae . . . iam quidem lunari potestate ostrearum conchyliorumque et concharum omnium corpora augeri et rursus minui'.

[3]) De Posidonio Ptolemaei fonte cf. Boll. l. l. pp. 132 sq.

Laert. VII 138: *καὶ αὐτὴν δὲ τὴν διακόσμησιν τῶν ἀστέρων κόσμον εἶναι λέγουσιν.* Huc faciunt [Aristot.] *περὶ κόσμου* p. 397 a 7. 398 a 12. Dio Chrys. XXXVI 30.[1]) Cic. de nat. deor. II 17 (ornatum mundi). 85. 94. 115. 118. 127. Acad. II 119. Plin. II 8 (nam quem *κόσμον* Graeci nomine ornamenti appellavere, cum et nos a perfecta absolutaque elegantia mundum). Apul. de mundo XXII. XXVIII (hoc ornamentum velut monile *κόσμος* rectissime graeca lingua significat). Aetna 68. Hanc allusionem poeta noster imitatus est I 51 (Hi tantum movere d e c u s), 126 (mundumque enixa n i t e n t e m), IV 866 (Sed quid iam tenui prodest ratione n i t e n t e m Scrutari mundum . . .?).

Vere igitur Stoicus Manilius I 486 sq. fervidissimis verbis contra Democritum Epicurumque, qui ex atomis i. e. casu mundum ortum esse statuebant, dimicat. Cuius argumentationem e Posidonio pendere similis Ciceronianus locus docet (de nat. deor. II 97), quem iam Malchinus (p. 47) attulit. Adde etiam § 115, quae in eandem rationis laudem terminatur atque Manilii locus: '. . . hic tantus caeli ornatus ex corporibus huc et illuc casu et temere cursantibus potuisse effici cuiquam sano videri potest? aut vero alia quae natura mentis et rationis expers haec efficere potuit? quae non modo ut fierent ratione eguerunt, sed intellegi qualia sint sine summa ratione non possunt'. Quanta autem acritate philosophus Rhodius Epicurum hac in re castigaverit, colligere licet ex Cleomed. l. II capite primo, ubi nos tenent ista verba (p. 158, 4): *Ἀλλὰ γὰρ οἷος (Ἐπίκουρος) ἐν ταῖς τῶν ὅλων ἀρχαῖς καὶ τῷ περὶ τέλους λόγῳ . . ., τοιοῦτος καὶ ἐν τοῖς ἀστρολογουμένοις . . . καὶ τὸ σύνολον ἐν παντὶ σκέμματι κατὰ πολὺ τῶν σπαλάκων τυφλότερος* (cf. etiam Martin. 'Luc. Posid.' sp. I p. 157). Ceterum vide Sen. de provid. I 2 et Minuc. Fel. c. 17, 1.

Deum aeternum esse Posidonius statuit Diog. Laert. VII 134 *(τὸν θεὸν . . . γὰρ ἀΐδιον ὄντα . . .)* teste. Cf. etiam 137. [Arist.] *περὶ κόσμου* p. 399 b 21. Dox. gr. p. 464, 10. Plin. NH II 1. Eandem sententiam saepius apud Manilium invenimus velut I 518 'At manet incolumis mundus suaque omnia servat', 521 'Idem semper erit, quoniam semper fuit idem', 523 'Deus est, qui non mutatur in aevo'. Porro mundum in se ipsum omnem substantiam consumere atque denuo gignere Posidonius docuerat. cf. Cleom. p. 12, 1: *(ἡ οὐσία) . . . συντηρεῖ ἑαυτὴν συστελλομένη τε καὶ πάλιν χεομένη ἐν αὐτῷ κατὰ τὰς φυσικὰς αὐτῆς μεταβολάς, ἄλλοτε*

[1]) Posidonianae doctrinae vestigia in Dionis orationibus iam investigaverunt Wendlandius (cf. 'Archiv f. Gesch. d. Philosophie' I p. 208), Praechterus (vide 'Berl. philol. Wochenschr.' XIV p. 709), Hirzelius ('Der Dialog' II p. 92 n. 2).

μὲν εἰς πῦρ χεομένη, ἄλλοτε δὲ καὶ ἐπὶ κοσμογονίαν ὁρμῶσα. [Arist.] περὶ κόσμου p. 396 a 28 sq. Quo cadit Manilii effatum IV 838: 'In tantum longo mutantur tempore cuncta Atque iterum in semet redeunt'. Versus antecedentes, qui Stoicorum inundationem mundi et ecpyrosin tractant (818 sq.), e Posidonio pendere iam Bollius sagacissime probavit. Praeterea huc cadunt Manilii ipsius versus I 893: '... terrisque minantur Ardentis sine fine rogos, cum mundus et ipsa Aegrotet natura suum sortita sepulcrum' [=IV 837: Atque uno timuit condi natura sepulcro] I 744. V 210: 'Dimicat in cineres orbis fatumque supremum Sortitur ... natura suismet Aegrotat morbis nimios obsessa per aestus Inque rogo vivit: tantus per sidera fervor Funditur atque uno ceu sunt in flumine cuncta' [sic Gembl. Lips. Voss.]. Ceterum puto poetam verbis 'aegrotat, morbis' illud Posidonii 'πάθος' vocibus 'fluitarunt, flumine' illud 'ῥεῦμα πυρός' imitatum esse.[1]) Nec non imago 'rogus' recurrit Plinii illo loco, quem ad Posidonium redire supra vidimus (vide p. 17): '... quid fore putandum est in tot rogis terrae?'

Postremo ut ceteri Stoici Posidonius mundum eundem atque deum esse voluit (Diog. Laert. VII 148. Dox. gr. p. 464, 9. Cic. de nat. deor. II 30. 47. August. de civ. dei VII 6 init.). Eandem opinionem poeta noster vv. I 485. 523. II 115. IV 390 sq. recepit. Quo factum est, ut saepissime pro 'deus' verba 'caelum, natura, numen, ratio, mundus' adhiberet (e. g. I 3. 9. 11. 107. 368. 524. 672 alibi). Iniuria ergo Malchinus (p. 42) Manil. I 25—65 ad illam rationem revocavit, qua Posidonius divinationem primum a deo, deinde a fato, denique a natura repetivit. Nam v. 40: 'Et natura dedit vires seque ipsa reclusit ...' nihil aliud significat nisi: Deus se ipse reclusit cf. IV 916: 'Ipse deus vultusque suos corpusque recludit Semper volvendo seque ipsum inculcat et offert ...' Praeterea nego poetam illis locis, quod Malchinus voluit, Posidonii librum περὶ μαντικῆς adhibuisse; immo vero effata illa, quippe quae cum astrologiam ipsam tantummodo leviter tangant tum artissime cum versibus sequentibus cohaereant, ad Posidonii protreptici argumentum pertinere putanda sunt. Quode vide spec. II.

Nec non II 37: 'Quorum carminibus nihil est nisi fabula caelum Terrave composuit caelum, quae pendet ab illo' revocare ad Posidonii doctrinam licet. Philosophus enim magistrum Panaetium secutus fabulas, quas poetae ac vulgus de diis finxerant, acerbissime reprehendit. cf. Cic. Tusc. V § 8: 'Nec vero Atlas sustinere caelum nec Prometheus affixus Caucaso nec

[1]) vide supra p. 5.

stellatus Cepheus cum uxore, genero, filia traderetur, nisi caelestium divina cognitio nomen eorum ad errorem fabulae traduxisset'. De nat. deor. II 70. Schmekel l. l. p. 243. Agahd l. l. p. 75. 145.

Iam si quaerimus, quo ex libro Posidonii Manilius sententias istas philosophas hauserit, primo de libris περὶ θεῶν cogitandum est. At quoniam fieri potuit, ut Posidonius talia aliis libris obiter commemoraret, praestat ista protreptico vindicare, unde poetam multa et alia, quae ad philosophiam pertinent, hausisse iam Bollius ratus est. Quod in specimine II copiose tractare animum induxi.

Excursus.

De Cleomedeae scripturae l. I capite primo, quod Martinius neglexit, cum, quae Cleomedes libro I. Posidonio deberet, subtiliter inquireret ('Lucubr. Posid.' II l. l. p. 315 sq.), Hirzelium recte iudicasse negaverim, cum diceret (l. l. II p. 228 n. 1): „Vielmehr ist meine Überzeugung, dass die Ansicht des Posidonius (über den leeren Raum) keine andere war als die des Aristoteles. Danach ... giebt es keinen Raum jenseits der Welt." Nam qui fieri potuit, ut Cleomedes illi sententiae, quam Posidonii ipsius quoque fuisse Hirzelius sibi persuasit, ista obverteret: *Φήσομεν δέ, ὅτι ἀδύνατον αὐτῷ φέρεσθαι διὰ τοῦ κενοῦ· νένευκε γὰρ ἐπὶ τὸ ἑαυτοῦ μέσον καὶ τοῦτο ἔχει κάτω, ὅπου νένευκεν* ... quae Posidonium ipsum statuisse supra vidimus? (p. 7. 11 n. 1). Contra duae tantum rationes proponendae esse mihi videntur: Aut Cleomedes ibidem Chrysippi sententiam secutus contra Posidonium dimicavit aut tota argumentatione meram Posidonii doctrinam amplexus est. Equidem putem auctores illos, qui tradiderunt statuisse Posidonium vacuum finitum esse, quod quidem conflagratio mundi postularet (Plut. Plac. phil. II 9. Stob. ecl. I 390. Euseb. praep. ev. XV 40) erravisse male intellecto tali Posidonii effato, quale Cleomedes ipse profert (p. 6, 11): *Εἰ δὲ καὶ εἰς πῦρ ἀναλύεται ἡ πᾶσα οὐσία, ὡς τοῖς χαριεστάτοις τῶν φυσικῶν δοκεῖ, ἀνάγκη πλέον ἢ μυριοπλασίονα τόπον αὐτὴν καταλαμβάνειν, ὥσπερ καὶ τὰ εἰς ἀτμὸν ἐκθυμιώμενα τῶν στερεῶν σωμάτων.*[1]) Cleomedes igitur Posidonii ipsius sententiam servavisse est putandus; quod

[1]) cf. Berger in 'Ber. d. K. S. Ges. d. W.' 1897 p. 74, qui similia congessit. [Oder l. l. p. 368.]

aliis quoque causis arguitur. Atque primum Cleomedis argumentatio praeclare conspirat cum Diog. Laertii explicatione (VII 140), cuius inter auctores Posidonius quoque citatur. Quem, si aliter *περὶ κενοῦ* iudicasset atque ceteri Stoici, Diogenem separatim fuisse allaturum mihi verisimillimum videtur. Deinde Cleomedes multa et alia Posidoniana pronuntiat. Velut mundi definitio (p. 2, 9) Posidonii est; item verba: *(κόσμος) πεπερασμένος ἐστίν* ad Posidonium redeunt (cf. Diog. Laert. VII 140). Argumenta, quibus nisus deum esse probat (p. 2, 16) Cleomedes et Chrysippo et Posidonio debere potest (cf. Cic. ND II 13. 19. 21. 32. 37. 158. Diog. Laert. VII 149. Sext. Emp. adv. math. IX 111. 119). Neque habeo, quod p. 8, 16 sq. Posidonio abiudicem. Deinde Aristoteleam opinionem auctor e philosopho Rhodio sumere potuit, cuius proprium erat priorum sententias colligere. Nec non quae p. 10, 20. 18, 17. 20, 13 profert, ad Posidonium spectant (cf. cap. IX et supra p. 7). Item exempla illa e vita cotidiana petita (p. 4, 17. 8, 24) ad philosophi nostri rationem quadrant. Haud secus, quae p. 18, 20 sq. legimus, Posidoniana sunt; vide Plin. II 179. Man. I 215 sq. Accedit, quod etiam Philo de aet. mund. p. 31, 18, quem Stoicas rationes e Posidonio prompsisse probavimus, similia atque Cleomedes professus est: *ὅ μοι δοκοῦσι καὶ οἱ Στωικοὶ προιδόμενοι κενὸν ἄπειρον ἐκτὸς τοῦ κόσμου τῷ λόγῳ καταλιπεῖν, ἵν' ἐπειδὴ χύσιν ἀπέραντόν τινα ἔμελλε λήψεσθαι, μὴ ἀπορῇ τοῦ δέξομένου χωρίου τὴν ἀνάχυσιν.*

Addenda.

P. 22 init. inice post verba: p. 123: *. . . τὸ μὲν οὖν πρὸ τῶν Σύρτεων . . . καλεῖται Λιβυκόν, τελευτᾷ δ' εἰς τὸ Αἰγύπτιον πέλαγος.*

Index.

Achilles Posidonium secutus est 1. 2. 7. 8. 14. 18.

Arati scholiasta quid ex Posidonio prompserit 14. 17. 18.

Aristoteles personatus De mundo multa Posidoniana profert 3. 4. 5. 9. 18. 19. passim.

Augustinus Posidonii de antipodibus ratiocinationem tradidit 11; Posidonium citavit 28. 34.

Cicero Posidonii sectator 2. 7. passim.

Cleomedes quid Posidonio debuerit 8. 9. 11. 12 sq. 33. 35. passim. Posidonium non secutus est 11 n. 2. 13.

Dio Chrysostomus nonnulla e Posidonio suppilavit 33.

Dionysius Periegetes Posidonio usus est 25. 27 n. 1.

Epicurus a Posidonio castigatus 33. Eius de antipodibus opinio 10.

Firmicus Maternus multa Posidonio debet 14. 18. 32.

Geminus c. XVI argumentum e Posidonio hausit 12 sq. Cratetem secutus est 9. 11 n. 3. Aristotelem 13.

Hermippus dialogus Posidoniana doctrina repletus 2. 14. 32.

Iustinus vide **Trogus.**

Lactantius Posidonii de antipodibus sententiam refutavit 10.

Livius Posidonii sapientiam excerpsit 29.

Lucretius Posidoniana exhibet 10. 18.

Lydus Posidonii auctoritatem amplexus est 6. 16.

Macrobius comm. in Somn. Scip. Posidonii doctrina ornavit 10. 13. 14. 18.

Manilius Posidonii de Canopo sententiam male intellexit 9. Posidonium non secutus est 13. Ceteroquin vide **Posidonius.**

Martianus Capella Posidonii auctoritatem secutus est 13. 14. 18.

Mela Posidoniana ex Varrone excerpsit 19. 27 n. 1.

Ovidius quae ex Posidonio sumpserit 6 sq.

Philo Alexandrinus multa Posidoniana exprompsit 4 sq. 31. 36.

Plinius Posidonii libr. meteorolog. adhibuit 2. 7. 8. 9. 15. 18. passim; nomina auctorum confudit 25.

Posidonius usurpatus ab Augustino 11; a Dione Chrysostomo 33; a Lactantio 10; a Lydo 6. 16; ab Ovidio 6; a Philone 4 sq. 36; a Strabone passim. 20 sq.; a Trogo 4; a Varrone 19. Ceteroquin vide singulos auctores. Aristotelem secutus est 15. Timaeum 25. Platonem defendit 5; *εὑρήματα* investigavit 28 n. 1; astrologiam ethnographicam finxit 28; citavit Pindarum 5. Aeschylum 5. Eius epit. meteor. 1. 18. 27; liber de Oceano 7. 12. 20 sq. 27; Protrepticus 1. 18. 28. 34. 35; terrae descriptio geographica 21 sq. Priorum

sententias collegit 2. 7. Imagines e vita cotidiana petivit 5. 7. 27. 36. Eius dictio 5. 20. Terram animal intellexit 5. 30. Quid protulerit de elementis 2 sq.; de terrae motibus 5; de terrae forma 7; de Canopo 9; de antipodibus 9; de cometis 14; de fulminibus 17; de luna 18. 31 sq.; de Thule 19; de Europa 25; de Italia 26; de Germanis 26; de Africa 26; de Nili inundationibus 27; de anima humana 29; de deo 30 sq.; de consensu rerum 31; de ecpyrosi 34 sq.

Ptolemaeus Posidonii sectator 14. 17. 32.

Seneca prolixe Posidonii doctrinam compilavit 2.10.14.15.16.27. passim.

Sextus Empiricus Posidonio usus est 32. 36.

Servius Posidonium suppilavit 10. 14.

Strabo quid Posidonio debuerit 3. 4. 5. 7. 10. 12. 13. 19. 20 sq. 29. Eius mos citandi 20.

Suetonius Posidonii sapientiam complexus est 2. 7. 8. 14. 17.

Trogus Posidonii auctoritate usus est 4. 28.

Varro Posidonii assecla 14. 19.

Vergilius Posidoniana profert 30.

Vitruvius Posidonii sectator 7. 14. 18. 29. 31; male Posidonium intellexit 9.

Tabula Argumenti.

Exordium pp

quo, quid viri docti adhuc de Manilii fontibus disputaverint, consideratur 1

Deinde demonstratur poetam

a) l. I locos, qui sunt de rebus meteorologicis 1—18
b) descriptionem geographicam l. IV . . . . 18—27
c) rationes astrologicas . . . . . 28—29
d) sententias, quae pertinent ad philosophiam 29—35

e Posidonio hausisse.

Excursus . . . . . 35—36

quo Cleomedem l. I c. 1 Posidonium secutum esse comprobatur

Index . . . . . 37—38

Vita.

Natus sum Alfredus Eduinus Mueller a. d. VI. Kal. Jan. anni 1875 Grossgraupae in vico Saxoniae patre Hermanno, matre Paulina e gente Leuthold. Fidem profiteor evangelicam. Dresdae, quam in urbem parentes transmigraverant, a patre linguae Latinae grammaticaeque rudimentis imbutus anno 1887 tertiam gymnasii Wettiniani classem adii, cuius scholas Meltzero rectore florentes sex annos frequentavi. Anno 1890 patris amatissimi morte subita summam in sollicitudinem sum adductus. Tum maturitatis testimonio instructus Lipsiam me contuli, ut philologiae studiis me dederem. Interfui scholis, quas habuere viri doctissimi de Bahder, Birch-Hirschfeld, Brugmann, Heinze, Immisch, Lamprecht, Lipsius, Ribbeck, Richter, Schneider, Seeliger, Socin, Wachsmuth, Weigand, Wundt. Aestate a. 1893 et hieme 1894 philologi proseminarii sodalis fui; a. 1900 aestate exercitationibus seminarii paedagogici interfui. Kalendis Aprilibus a. 1898 usque ad eundem proximi anni diem in legione Regia Saxonica 134. copiarum pedestrium stipendia feci. Tum per aestatem hiememque anni 1899 Dresdae commoratus sum, ut dissertationem inauguralem conscriberem, qua commentarius et lectiones quinque codicum ad Manilii l.V continebantur. Qua tradita cum repulsam tulissem, quia neque quaestio idonea esset, quae dissertatione inaug. tractaretur, et Becherti editio nova prelum iam subiisset, denuo Lipsiae per semestre studiis indulsi. Praeterea ab a. 1896 mense Augusto usque ad Aprilem a. 1897 in urbe Badensi Weinheim munus domestici praeceptoris suscepi nec non a. 1899 per sex septimanas partibus magistri in gymnasio Dresdensi, quod 'Dreikönigschule' vocatur, sum functus.

Denique non possum, quin et praesidi et custodibus Regiae bibliothecae Dresdensis iustas ac debitas gratias agam, qui mihi benigna liberalitate libros, quicumque mihi opus erant, suppeditabant.